Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.

Huber del. *Aloys Schön ſc.*

SACERDOS
DEVOTUS
ante & poſt
Sacrum.

A
P. Freder. Sturmlerner
Canon. Praemonſt.
Roggenburgi in Suevia.
1808.

A 168/113

Bayerische
Staatsbibliothek
München

SACERDOS DEVOTUS

ANTE ET POST

SACRUM.

A

P. FREDERICO STURMLERNER

CANONICO PRÆMONSTRATENSI,

ROGGENBURGI IN SUEVIA.

EDITIO NOVISSIMA.

CUM APPROBATIONE REVERENDISSIMI
ORDINARIATUS AUGUSTANI.

AUGUSTÆ,
APUD NICOLAUM DOLL
1808.

1808

AUGUSTE

ORDINARIATUS AUGUSTANI

ET APOSTOLICÆ SEDIS PRÆLATUS

EDITIO ROMANA

CANONICO PRÆFIXA

AUCTORITATE

LEONIS

PAPÆ XII

DECIMI

SUMMI PONTIFICIS

AUGUSTÆ
TYPIS TYPOGRAPHIÆ REGIÆ

Bayerische Staatsbibliothek

SACERDOS SACERDOTI.

„ Si nullum aliud opus, ut ait Trid. Seſſ. 22. Decret. de obſerv. &c., adeo „ ſanctum ac divinum a Chriſti fidelibus „ tractari poteſt, quam hoc ipſum tremen- „ dum myſterium,“ quia nec ipſe Deus eo majorem & ſanctiorem actionem effi- ciet amplius, „ cujus quippe oblatione pla- „ catus Dominus gratiam & donum pœni- „ tentiæ concedens, crimina & peccata „ etiam ingentia dimittit; ſatis apparet, „ omnem operam in eo ponendam eſſe, ut „ ut quanta maxima fieri poteſt interiori „ cordis munditia atque exteriori devotio- „ nis ac pietatis ſpecie peragatur;“ Satis etiam apparet, laborem in adornando de- votiſsimo acceſſu & receſſu bene eſſe col- locatum, ubi varietas precum omni die aliarum atque aliarum tædium ab orante

pellit, mentem delectat, eique novum fervorem inspirat; quis enim mortalium sapit omnibus horis?

Benevolo igitur oculo dignetur Sacerdos Altissimi praxin novam, in variis temporibus vicis suæ ante Deum totum mare adfectuum sublimissimorum & totum cor suum effundendi. Non subtrahetur servitio & negotio suo; quod impendet officio; sicut a Domino consilium: sic ab eodem auxilium. *Quid vis, ut tibi faciam?* Hanc vocem audiet a Christo intus post sacrum, si in deliciis habuerit, devotissime conversari cum recepto hospite divinissimo. O ter pretiosa momenta! ubi Christus Dominus durantibus speciebus sacramentalibus manet in Sacerdote & Sacerdos in Christo Jesu suo. *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo* Joan. 6. Magna ratio habenda est momentorum illorum, aiunt Doctores mystici

sed

ſed & maxima præparatio ac devotio tremendo huic ſacrificio præmittenda eſt, ut ab hac menſa non niſi ut leones ignem ſpirantes redeamus, toti amore amoris Evchariſtici ſuccenſi. Ah! ſi tot ſanctis & piis Sacerdotibus integræ horæ pro hujusmodi devotione non videbantur prolixæ, ſaltem horæ quadrantem eidem impendere non pigeat. Operæ pretium eſt, quia ſapido cordis affectu deguſtare licebit, quam bonus Dominus animæ quærenti illum; quoniam apud ipſum eſt fons vitæ. „ Da „ amantem, & ſentit, quod dico; da de„ ſiderantem, da ferventem, da in iſta ſo„ litudine peregrinantem, atque ſitientem „ & fontem æternæ patriæ ſuſpirantem: „ da talem & ſcit quid dicam. Si autem „ frigido loquor, neſcit, quid loquor. *S. Aug. Tract. 26. in Joan. poſt initium.*

Verbo igitur omnia: SACERDOS DEVOTUS ante & poſt Sacrum, hoc eſt, tan-

tum iis, qui hoc ſpecialiſſimo divinæ gratiæ tempore perlibenter volunt adhærere Domino, & cum ipſo eſſe unus ſpiritus, unus amor, cor unum & anima una, his amantibus, his deſiderantibus & ferventibus, fontemque vitæ ſitientibus hæc pietatis exercitia novo quodam conamine, una cum Appendice exarata, & non tantummodo conſcripta fuere. *Qui legit intelligat.* . .

QUÆRITUR:

Ubinam defectus ſit, an in cibo, vel in edentis diſpoſitione, quod tam multi Sacerdotes, poſt tot celebrationes, tot communiones, queis ſe quotidie cibant carne Salvatoris, ſemper tepide, ſemper impatientes, ſemper guloſi, & aliis vitiis dediti permaneant?

ELUCIDATUR:

Hæc eſt cauſſa, quod tremens dico

quare

quare multi quotidie celebrantes, & poſt multos Sacerdotii annos modica ex hoc auguſtiſſimo Sacramento dona cœleſtia recipiant, quia parum parati, vita bona, exemplari, & conſideratione ſancta ad ipſum offerendum accedunt, ait S. Thomas. Vita eſt, ſed tantum bonis; & ſingularis unctio, ſed tantum valde devotis, & digne præparatis; ex modo enim accedendi, ex opere operantis, dependet omnis fructus. Bona præparatio, bonus fructus: melior præparatio, melior fructus: optima præparatio, optimus fructus. *Secundum enim ligna ſilvæ, ſic ignis exardeſcit.* Eccli. 28. 12. Credis hoc? . .

Res excelſum requirit animum. O quam mundæ debent manus eſſe, quæ tractant Filium Regis magni! Utcumque a purgatis mentibus concipi, a nullo vero exprimi poteſt, quid requirat Sacerdotium magnum, quantam puritatem, quantam

integritatem, quantam religionem, quan
tam ſanctimoniam.

Verum quis non paveſcat, ingemiſci
Bernardus, quis non erubeſcat, ubi præ
ſtantiſſimum ſæculi pretium projicitur in
ſterquilinium! Heu! qui paſcitur pane An-
gelorum, adhuc ſiliquas cum porcis deſi-
derat, cepas Ægypti præ Manna cœli,
omne delectamentum in ſe habenti. Ob-
ſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus
deſolamini vehementer!

Utinam hiſce temporibus, ubi dies
mali ſunt, nullus daretur Sacerdotum, cui
dæmones ſuorum ſcelerum conſcii, dum
ſacris veſtibus incedit, per irriſum expro-
brare poſſint: *En! Saul inter Prophe-
tas.* Talis ſibi dictum putet illud Micheæ:
*Tu calcabis olivam, & non ungeris oleo, &
muſtum & non bibes vinum.* Cap. 6. 15.

Quam lectu horrendum eſt ex maxi-
mo Eccleſiæ Doctore S. Hieronymo: „ Væ

„ tibi

„ tibi Sacerdos! qui eodem ore oſcularis
„ filiam Veneris, quo paulo ante ſumpſi-
„ ſti filium Virginis! O impie Juda! oſcu-
„ lo Filium hominis tradis!“ Quid mi-
rum, ſi tales proditores & filii perditionis,
qui melius nati non fuiſſent, quia mors ta-
lium peccatorum peſſima — ad exemplum
Coriphæi ſui faciunt in altari cito, quod
faciunt, feſtinanter, baculum ſuum deam-
bulatorium tenendo quaſi in manibus, com-
medentes Agnum, ſive paſcha ſuum, quia
anima eorum nauſeat ſuper cibo iſto ange-
lico; omnis autem nauſea mala, panis au-
tem, nullo amplius modo confortantis,
certo peſſima, ut ait *Avicenna*, Doctor ara-
bicus, eoquod corruptum indicet ſtoma-
chum, malis humoribus repletum.

Quid mirum, ſi poſt modicam vel
nullam præparationem modicus vel nullus
ſequatur fructus & guſtus? Quid, ſi prop-
ter indignam manducationem ſequatur ju-

dicium duriſſimum his, qui taliter accumbunt menſæ ac præſunt presbyteri, venenum lethiferum in ipſo pane vitæ manducantes? *Mors eſt malis.*

Quam gratiam & effectum reportabunt, ait *S. Baſilius lib.* 1. *de Baptiſmo*, qui otioſe & intuliter Chriſti corpus manducant, & ſanguinem bibunt, idque ex eo, quia finem, ad quem tendit inſtitutio hujus vivifici Sacramenti, fruſtrantur, ſimiles illi ſervo, qui acceptum a Domino talentum abſcondit: nam contra conſcientiam tantum bonum irritum faciens, & ingrate ad hujusmodi Myſterium accedens, condemnationem ac judicium habet negligentiæ ac ſegnitiei, ſimilis illi, qui talentum integrum in otio ſervavit? Hæc ille.

F Quam amare conqueritur Deus evcharisticus: *Filios enutrivi & educavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Iſa. 1, 2. Audiat ter-

ra:

ra: Pro convivis noſtris, qui conſummunt ſubſtantiam noſtram, & forſan nec amant nos, ſed ſolum ventrem ſuum; quærentes quæ ſua ſunt, de primo mane ordinantur e'cæ, ſumusque totam per diem occupati: Chriſto autem, venienti ad nos, hoſpitanti & potanti nos, ne quidem per breviſſimum quadrantem cœnaculum paratur. Ah! amor, amor non amatur. Qui plus aliis a Chriſto diligitur, eſt is ipſe, a quo Chriſtus ſæpenumero magis, quam ab aliis poſtponitur. *Ecce Homo!*

Attende, o Sacerdos Altiſſimi! an hominem ita amore exhauſtum, & ab amatis ita contemtum, omnibus aliis poſthabitum, noveris! Ecce! Agnus Dei coram tondente ſe, & non aperiens os ſuum. *Silebit Dominus in dilectione ſua.* Soph. 3, 17.

PRÆPARATIO
remota ad Sacrum per devotam ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ.

Intentio prævia Confeſſuri.

Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti! Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis! qui neminem vis perire in te credentem & ſperantem: Ecce! in unione illius intentionis ſanctiſſimæ, qua Filius tuus D. N. J. Chriſtus hoc Ss. Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit; & aliquis ſanctorum pœnitentium umquam ſuſcepit; ego vilis peccator, pauper, malus & indignus venio ad te ſupereffluentem abyſſum pietatis, ut laver in ſanguine Agni ab omni macula & munder ab omni peccato, utut multo: ut fiam tibi ſumme Sancto per gratiam tuam ſimilior ornatiusque Spiritus ſancti habitaculum: ut hac contriti cordis actione dilatem in me & per me gloriam Chriſti Salvatoris mei & efficaciam meritorum ſanctiſſimæ iplius vitæ ac paſſionis:

ad dandum guſtum beatiſſimo cordi tuo, propter te ſolum & propter infinitam bonitatem tuam: nec non ex motivo ſupernaturali *fidei*, quia credo hoc Sacramentum reconciliationis a Jeſu Chriſto fuiſſe inſtitutum; *ſpei*, quia confido, quod tu Deus fidelis remiſſurus ſis iniquitatem peccati mei, ſi confitebor eam; *caritatis*, quia te ſuper me & omnia amo ac deamo. Hac & omni alia poſſibili meritoria intentione ego malus & indignus confitebor adverſus me injuſtitiam & ingratitudinem meam tibi Domino Deo meo.

Petitio luminis.

Spiritus ſancte Deus, qui lux vera es, & illuminaris his, qui in tenebris ſedent: Tu qui conſideraſti omnes ſemitas meas, & omnes greſſus meos dinumeraſti; emitte, obſecro, meritis piiſſimæ Virginis MARIÆ & omnium Sanctorum, in animam meam lucem & vcritatem tuam, ut illumiher in me & cognoſcam me, ſicut cognoſcor a te. Dic obſecro, Domine Deus meus! dic mihi ſervo tuo, ſupplici tuo, in quo diſceſſerim & defecerim a te, ut judicem me, & non judicer a te. Deus

meus, illumina me, ut videam, quis sim coram te.

* *Fiat discussio conscientiæ latebrarum cum reflexione ad illud dictum Apostoli: Quod si nosmetipsos dijudicaremus (id est puniremus, condemnaremus, probaremus, examinaremus, discuteremus, ut si quid peccati inveniamus, illud contritione & confessione expiemus, quod proprie est dijudicare juxta Cajetanum & Gagnejum in l. cit.) non utique judicaremur, non in judicio divino puniremur. Vere S. Aug. in sententiis sent.* 210. *peccata, ait, sive parva sive magna, impunita esse non possunt, quia aut Homine pœnitente, aut in judicio Deo judicante plectuntur; cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos, qui semetipsos judicant, non judicare. Auctor de imitat. Christi adhortatur: „ Si tempus patitur, Deo in „ secreto cordis cunctas confitere passionum „ tuarum miserias.“*

Sup-

Supplicatio pro dono lacrymarum.

Ex medit. S. Aug. c. 36.

Rogo te, bone Jesu! per illas pretiosissimas lacrimas tuas, & per omnes miserationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es: da mihi gratiam lacrymarum, quam multum desiderat & appetit anima mea, quia sine dono tuo non possum habere eam, sed per Spiritum sanctum tuum, qui dura corda peccatorum mollit & ad fletum compungit.

Solum confugium, & unica spes miserorum, cui numquam sine spe misericordiæ supplicatur, propter merita & orationes eorum, qui tibi placuerunt & in spiritu veræ pœnitentiæ devotissime servierunt, se plangentes nocte ac die, miserere mei miserrimi & indigni servi tui, & da mihi gratiam lacrymarum, da mihi irriguum superius & irriguum inferius, ut fiant mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, efficiarque in conspectu tuo, Deus meus, per ignem compunctionis holocaustum pingue & medullatum, macterque totus in ara cordis mei, ex multa dulcedine amoris tui, & commemoratione misericordiarum tuarum.

Appa-

Apparatus actuum contritionis perfectæ.

O Trinitas Deus, digniſſime, amabiliſſime, beneficentiſſime, ipſaque eſſentialis bonitas & amor & ſanctitas Deus.

Reminiſcor, recognoſco & confiteor coram te omnes & ſingulas iniquitates meas, omnes offenſiones & negligentias ac ingratitudines meas, quibus umquam diſplicui tibi, & bonitati & caritati & ſanctitati tuæ.

Peccavi in te, Deus meus, & in omnes perfectiones tuas, quibus abutebar. Peccavi & vere deliqui. Propter pugillum hordei & fragmentum panis — Ego homo unanimis & notus tuus, qui ſimul tecum dulces capiebam cibos . . .

Et nunc, Domine Deus omnipotens, anima in anguſtiis, & ſpiritus anxius clamat ad te. Audi Domine, & miſerere mei, quia Deus es miſericors & quia apud te propitiatio eſt.

De omnibus & ſingulis peccatis, offenſionibus & negligentiis meis doleo tota animæ meæ tribulatione ac pœnitudine,

dolore

dolore vero — quo & quanto dolore me vis . . . dolore ac planctu omnium vere pœnitentium . . . dolore B. V. MARIÆ, ad divinas offenſas toties contriſtatæ . . . dolore illo ipſo ex corde theantrico in monte olivarum profluxo & in cruce cum lacrymis manifeſtato.

Doleo autem ex puriſſimo amore tui, ſecundum juſtiſſimum beneplacitum ſanctiſſimæ voluntatis tuæ; quia tibi benigniſſimo Domino, dilectiſſimo Patri & altiſſimo Deo, omni meo amore ac ſervitio infinite digniſſimo, toties & in tantum diſplicui, ac paternos oculos tuos turpiter offendi.

Has ipſas ob cauſas moveo in amaritudine paſſionis Domini mei Jeſu Chriſti quærimoniam adverſus me, & vehementer me ipſum accuſans, in ſpiritu humilitatis & animo contrito percutio pectus meum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori!

O quam diſplicent mihi Domine, quam diſplicent & ſuper omnia diſplicent ſingula & omnia peccata mea; quia ex ſe mala & perverſa: quia tibi diſplicita & a te prohibita, quia ira & vindicta tua digna; quia ſupremæ tuæ Majeſtati, amabiliſſimæ bonitati, honorandiſſimæ ſapientiæ, potentiæ, juſtitiæ ac voluntati tuæ injurioſa. Uti-

Utinam, millies utinam! ea numquam commisissem, non corde, non ore, non opere, non ulla prorsus iniquitatis ratione! O Domine, o cor meum! Quis mihi det, ut non offenderim te, & ut sit magna, velut mare, contritio mea!

Totis viribus & cordis & mentis odi ego commissa mea, odisseque volo & constituo in æternum, odio illo perfectissimo, quo tu Deus meus sanctissimus ea odio habes.

Deprecor ea, retracto, detestor, execror super omnia detestanda & execranda tota anima mea & omnibus potentiis ejus, quibus peccavi: deque illis coram omni creatura erubesco, & amarissimo tædio conficior & tabesco, omnem affectum & propensionem qualiscumque voluntatis meæ ab eis avertens.

Desidero illa & emendare & emundare & etiam nunc emundo in balneo sanguinis & meritorum Jesu Christi.

Cupio, propono & decerno gratia tua opitulante, quam supplex invoco, firmiter expiare illa, quam pleniſſime, quoad culpam & quoad pœnam omnem. Propono

etiam

etiam & ſtatuo conſtanter plenam eorum fugam, vigilantemque devitationem.

Parce igitur o Pater miſericordiarum, & Deus veniæ largitor! parce ſervo tuo propter quem non pepercisti Filio tuo. Exaudi Domine & placare. Miſerere mihi Domine, quia tu ſuavis ac mitis es & copioſus in miſericordia omnibus invocantibus te.

Largire mihi obſecro, propter bonitatem tuam & Chriſti Domini mei pretioſiſſimam mortem, omnium & ſingulorum peccatorum plenam perfectamque condonationem, nec non eorumdem omnimodam emendationem, per auxilium gratiæ efficacis, quam in unione efficaciſſimæ orationis Redemtoris mei & humillime peto, & a te miſericordiſſimo atque indulgentiſſimo Deo meo per amorem illum, quum tuæ paternæ deliciositatis amantiſſimus Unicus cum ſceleratis reputaretur, confidentiſſime ſpero.

* *Recitetur pro peccatis tertio Pſal.* Laudate Dominum omnes gentes, *ut Chriſtus B. Mechtildi ſuaſit.*

DE

DE IPSA CONFESSIONE.

NOTA APPONI DIGNA. „ *Venialia*, " *ut ait Synodus trident. Seſſ. XIV. Cap. 5. de reformat.* „ *recte & utiliter, citraque om-* „ *nem præſumptionem in confeſſione dicuntur.*" *Monet tamen S. Franciſcus Saleſius ut ſolum vere venialia peccata, quæ abſolutione digna ſunt, dicantur, omiſſis aliis imperfectionibus, & illis tam generalibus, de neglectu divinarum inſpirationum, de abuſu divinarum gratiarum, de non impleta obligatione votorum in Baptiſmo, &c. quam mere conditionalibus accuſationibus,* „ *ſi forte non* „ *ſufficienter reſtitiſſem, ſi forte in hoc & il-* „ *lo juſtificatus non eſſem &c. &c.*" *Nemo enim prudentum confeſſariorum quærit hæc de manibus noſtris, quia alias talium enarrandorum infinitus eſſet numerus. Omiſſiones, ut obſervat S. Thomas, dici poſſunt infinitæ. Quod tibi tamquam confeſſario a pœnitente non vis fieri, alteri, tuo Patri ſpirituali, ne feceris. — Humiliemus Deo potius animas noſtras & dicamus primo peccata Caroli dein Cæſaris. Confiteamur recte, humiliter, ſimpliciter & taliter, ut confeſſa-*

rius non cum justa nausea debeat advertere, nos studio attentere, ne procedat ex ore nostro aliquod verbum veritatis ad nostram humiliationem — Erudire Jerusalem! „ *Humilem Deus diligit & consolatur, humili homini se inclinat, humili largitur gratiam magnam.*“ De imit. Christi. L. 2. cap. 2. n. 2. „ *Relegatur —*

Sub ipsa absolutione.

O Domine Jesu, Deus cordis mei! doleo, doleo, doleo de omnibus & singulis peccatis meis, ex amore tui super omnia, & quod mihi de vero dolore deest, digneris, obsecro, supplere per amarissimam contritionem cordis tui in clivo olivarum contristati usque ad mortem.

Actus post confessionem.

Piissime Deus! cui proprium est misereri semper & parcere, gratias tibi ago, quas possum intimas, maximas & infinitas, ex parte omnium cœlestium, terrestrium & infernorum pro exuberantissima bonitate tua, qua propitius fuisti peccatis meis propter nomen sanctum tuum. Vere

sua-

ſuavis & miſericors es, & miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua. Laudo & benedico te Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis. Confiteantur tibi quoque omnia opera miſericordiæ tuæ, & ſancti tui, miſerationes tuas mecum experti, benedicant tibi.

Utinam tibi per pœnitentiam a confeſſario mihi injunctam, tantum honoris, amoris ac reverentiæ exhibere poſſem, quantum tibi injuriæ ac contumeliæ per peccata mea irrogavi! Hoc ut perficere valeam, unio & conjungo iſtud pœnitentiæ meæ opus cum ſanctiſſimis operibus & infinitis meritis Chriſti Domini, ipſiusque ſacroſancto cruore aſpergo, ac per manus ſanctiſſimæ humanitatis ſuæ pro ſingulis vitæ meæ anteactæ momentis offero. Intende mihi & exaudi me.

* *Perſolvitur pœnitentiæ, & dein ſequens*

Oratio.

Rogo te, dulciſſime Jeſu! Redemptor & Amator animæ meæ! ut hanc confeſſionem & pœnitentiam meam per merita tua, & merita Matris tuæ omniumque ſanctorum

Pœ-

Pœnitentium ratam & acceptabilem facere digneris; quodque deficit contritioni in vehementia & amaritudine, aut confeſſioni in puritate & integritate, per piiſſimam, quæſo, miſericordiam tuam, & dulciſſimi cordis tui devotionem ſuppleatur.

Aperiantur mihi vulnera tua in conſpectu Patris tui æterni, & influat ſanguis tuus in miſeram animam meam, necque obſtruatur hic fons patiens, priusquam ea ab omnibus maculis & ſordibus ſuis abluta & emundata ſit.

Præſta quoque auxilium gratiæ tuæ miſericordiſſimæ, ut non amplius recedat cor meum a te. Tu ſcis, Domine, quæ cogitant in me inimici mei. Ad te levo animam meam & manus meas. Qui pius es, miſerere mihi ſervo tuo, & da timorem tuum in corde meo, meque ſingulis horis & momentis in omnibus adjuva propter gloriam nominis tui, ut permaneat cor meum tibi devotum omnibus diebus vitæ meæ, ſimque totus totus tuus, & nullus nullus meus in æternum. Amen.

Oratio S. P. Franciſci Seraphici.

Omnipotens, æterne, juſte & miſe-

ricors

ricors Deus! da nobis miseris propter temetipsum semper facere, quod tibi placet, quod scimus te velle, ut interius mundati & igne sancti Spiritus accensi possimus sequi vestigia dilectissimi Filii Domini nostri Jesu Christi, & ad te, Altissime! sola tua gratia feliciter pervenire, qui in trinitate perfecta, & unitate simplici vivis & regnas Deus omnipotens in sæcula sæculorum. Amen.

PRÆPARATIO PROXIMA AD SACRUM.

Psalmi præparatorii ad devotam Missæ celebrationem, paraphrasi affectuosa adornati.

* *Non incongrue recitant aliqui Psalmum I cum intentione pro sacrificio Missæ, ut est latreuticum: Psalmum II cum intentione pro sacrificio, ut est memoriale passionis: Psalmum III cum intentione fiduciali pro sacrificio, ut est impetratorium; Psalmum IV cum intentione pro sacrificio, ut est Eucharisticum: Psalmum V cum intentione pro sacrificio, ut est propitiatorium. Intentio & applicatio est multiplex.*

Antiph. Ne reminiscaris delicta nostra;

vel

vel Parentum noſtrorum, necque vindictam ſummas de peccatis noſtris.

Pſalm 83.

ARGUMENTUM. David deſiderio flagrat habitandi in domo & arca Dei, unde exul erat propter conjurationem Abſalonis. Sacerdos unice cupiat frui Deo ſuo; hic per gratiam; ibi per gloriam.

1) *Quam dilecta*, o quam amabilia & deſiderablia *tabernacula tua* cœleſtia & æterna, *Domine virtutum* cœleſtium & Angelorum; *concupiſcit & deficit anima mea* præ nimio deſiderio intrandi *in atria Domini*. O quando veniam & apparebo, Domine, ante faciem tuam?

2) *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Totus ego deſidero Te intime frui. Da per ſpecialiſſimas gratias Te ipſum mihi.

3) *Etenim paſſer invenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos*. Ah! nec animalculis deeſt locus, ubi a voracitate volucrum prædatricum ſecure degant; igitur

4) *Altaria tua* cœleſtia mihi nidus gratiſſimus ſunto *Domine virtutum*, ubi in dul-

cedine ſpiritus conquieſcens exclamem pleno corde: *Rex meus & Deus meus!*

5) *Beati, qui habitant in domo tua Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt Te.* O vere beati, o terque quaterque beati, qui omnibus malis exuti, ſecuri de ſua immarceſſibili exultant gloria!

6) *Beatus vir, cujus eſt auxilium* gratiæ *abs Te*, qui omnem ſpem ſuam in Te collocat: *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrimarum, in loco, quem poſuit.* O beatum illum, qui conſtituit ſecum in ſtatu præſentis miſeriæ, quem ad merita colligenda poſuiſti, per gradus variarum virtutum ad illam æternam gloriam aſcendere!

7) *Etenim benedictionem* ſuam & gratiæ infuſionem *dabit* Chriſtus *legis* evangelicæ *lator*: *ibunt de virtute in virtutem*, aliam ex alia fortitudinem acquirent, ut difficultates occurrentes facilius ſuperent; dum tandem *videbitur Deus Deorum in Sion* cœleſti. O bone Jeſu! quando ſtabo ad videndum Te, non amplius in ænigmate, ſed de facie ad faciem?

8) *Domine Deus virtutum*, dator omnium, *exaudi orationem meam*: *auribus* miſericordiæ tuæ *percipe Deus Jacob!*

9) *Pro-*

9) *Protector noster aspice Deus*, acceptando preces nostras: *& respice in faciem* Christi Filii *tui*; pro reverentia exaudiri, & propter merita sua salvari confido.

10) *Quia melior* & plenior vero gaudio *est dies una in atriis tuis* cœlestibus: *super millia* dierum, quos mundani in bonis ducunt. Regnum Dei non est esca & potus.

11) *Elegi abjectus esse in domo Dei mei*; ut sim aliquando auditurus: AMICE! ASCENDE SUPERIUS. Malo nunc pro Te ad ostium sedere, minimus haberi, & mala hujus mundi parumper tolerare: *Magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*, divitiis, honoribus ac voluptatibus in vita hac transitoria affluere, postea vero cum infelici Epulone sepeliri in inferno, & audire: RECEPISTI BONA IN VITA TUA.

12) *Quia misericordiam & veritatem diligit Deus*, quia in promissis suis adimplendis misericors & fidelis est: *Gratiam* in præsenti, *& gloriam* in futuro *dabit Dominus*. Sufficit. —

Non privabit bonis gratiæ & gloriæ eos, *qui ambulant in innocentia* & simplicitate cordis: *Domine virtutum* & Deus miseri-

cordiarum *beatus homo, qui ſperat in Te,* ſpes mea ab uberibus matris meæ!
Gloria Patri, &c.

Pſalm. 84.

ARGUMENTUM. Petit David redemtionem generis humani per Meſsiam futurum, quocum vera pax in terris obventura ſit Sacerdos inter veſtibulum & altare ploret! „Parce Domine, parce populo tuo!“ oret: „Da pacem Domine in diebus noſtris“. cet.

1) *Benedixiſti Domine terram tuam* per Chriſtum Salvatorem: & *avertiſti*, ſuſtuliſti, *captivitatem Jacob*, peccatum, quo tenebamur captivi a diabolo.

2) *Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ*: & *operuiſti omnia peccata eorum*, penitus delendo in oculis tuis.

3) *Mitigaſti omnem iram tuam*: *avertiſti* vultum tuum *ab ira* conceptæ *indignationis tuæ*, propter Chriſtum interceſſorem.

4) *Converte nos o Deus ſalutaris* Jeſu Salvator *noſter*, gratia tua excitante & præveniente: *& averte iram tuam a nobis.* Domine ne in furore tuo arguas nos; equidem digna factis reciperemus; ſed parce confitentibus. Parce —

5) *Num-*

5) *Numquid in æternum* & ſemper *iraſceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem*, in longum ſæviendo, & noſtri non miſerando?

6) *Deus Tu converſus* ad nos & reconciliatus nobis *vivificabis nos* benigno vultu aſpiciendo: *Et plebs tua lætabitur in te*, gaudendo de tua benignitate.

7) *Oſtende nobis Domine* Deus Pater *miſericordiam tuam*, in miſſione Filii tui: & *ſalutare tuum*, Salvatorem noſtrum, *da nobis* poſſidendum. Veni Domine, & noli tardare.

8) *Audiam* attente in corde *quid loquatur in me Dominus Deus* mentem illuſtrans; *quoniam loquetur pacem*, omnia proſpera & bona *in plebem ſuam*. Ah! non loquatur mihi Moyſes, ſed tu Domine Deus meus, qui ſolus potes me perfecte imbuere. Loquere mihi ad qualemcumque animæ meæ conſolationem, & ad totius vitæ meæ emendationem. Loquere.

9) *Et ſuper Sanctos ſuos*: & *in eos, qui convertuntur ad cor*. O quam benignus eſt Deus ſervis ſuis fidelibus, & redeuntibus ad cor, non ad priſtinas ſtultitias & crepundia! Quam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde?

10) *Verumtamen* ſpecialiter *prope timentes eum* timore filiali eſt *ſalutare ipſius* Dei, ſcilicet Chriſtus: *Ut inhabitet* Chriſtus, qui eſt *gloria* Patris *in terra* & conſcientia *noſtra*. O Jeſu poſſide nos! Poſſide —

11) *Miſericordia* exhibita in novo Teſtamento *& veritas* promiſſionum veteris Teſtamenti *obviaverunt ſibi* in perſona Chriſti, qui ex miſeratione carnem humanam indutus in veritate promiſſum adimplevit: *Juſtitia*, qua pro culpa Adami ſatisfecit & *pax*, qua nos Patri ſuo reconciliavit, *oſculatæ ſunt* convenerunt in unum. Oſculetur nos omnes dilectus Jeſus noſter oſculo oris ſui: oſculo pacis æternæ. Domine! dona nobis pacem; dona!

12) *Veritas de terra orta* Chriſtus de B. Virgine natus *eſt*: *& juſtitia*, gratia ſanctificans homines, *de cælo proſpexit*; ad hoc enim veritas orta eſt, ut juſtificaret homines.

13) *Etenim Dominus* Deus Pater *dabit benignitatem* gratiæ ſuæ per Chriſtum, infundet benedictionem: *&* ſic *terra noſtra* facta fœcunda *dabit fructum ſuum* in bonis operibus.

14) *Juſtitia ante eum* Deum *ambulabit*:

& ponet Dominus *in via* ſic parata *greſſus ſuos.* O Domine! da largitatem gratiæ, ut juſte ac probe vivens habeam in omnibus viis meis Te mihi propitium, omniaque proſperantem.

Gloria Patri &c.

Pſalm. 85.

ARGUMENTUM. David ſupplicat pro liberatione ab hoſtibus: vaticinatur gentium converſionem in adventu Meſſiæ, ſolatium inopum, & lætitiam pauperum in ſpiritu, i. e. humilium. Sacerdos applicet ad Chriſtum, ad ſe ipſum, ad propria, & aliorum Devotorum deſideria.

1) *Inclina*, qui excelſus es, *Domine* ad me *aurem* & clementiam *tuam*, *& exaudi me: quoniam inops & pauper*, afflictus & nullam habens opem *ſum ego.*

2) *Cuſtodi* ut pupillam oculi *animam* & vitam *meam*, ne incidam in manus inimicorum, *quoniam ſanctus*, juſtus per baptiſmum, & per religionem tibi conſecratus *ſum: ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te.*

3) *Miſerere mei* ſecundum magnam miſericordiam tuam *Domine*, *quoniam ad Te cla-*

clamavi tota die, omni tempore vitæ meæ; *Lætifica animam* mœsti *servi tui*, *quoniam ad te Domine animam levavi*, de terrenis ad cœlestia.

4) *Quoniam tu Domine suavis & mitis*, o quam bonus & suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus: *& multæ misericordiæ* non tantum quibusdam, sed *omnibus* sincero corde *invocantibus Te.*

5) *Auribus percipe Domine orationem meam*, quam pro me & meis effundo: *& intende voci deprecationis meæ*, qua ex fervore spiritus sincere precor gratiam:

6) *In die tribulationis* & angustiæ *meæ*, atque in tempore vitæ hujus miserrimæ *clamavi* enixius *ad Te: quia exaudisti me* alias deprecantem & ideo spero denuo exaudiri. Spero.

7) *Non est similis tui in diis* & simulacris gentium *Domine*: *& non est* aliquis *secundum* admirabilia *opera tua*; tu enim solus scis & potes bona facere in eis, qui rogant Te. Ex quo sequitur, quod

8) *Omnes gentes*, *quoscunque fecisti*, non omnes homines, *venient* per fidem ad Te, *& adorabunt coram Te Domine*, agnoscendo Te suum Redemtorem *& glorificabunt nomen tuum*, quod est Jesus. 9)

9) *Quoniam magnus es tu*, & ab ortu ſolis uſque ad occaſum faciens mirabilia: *Tu es Deus ſolus*, cui ſerviam.

10) *Deduc me Domine in via tua* mandatorum, & *ingrediar* proficiendo ulterius *in veritate tua* de virtute in virtutem: & inde *lætetur cor meum* de ſpe remunerationis, ſic tamen, *ut* cogitans diſtrictionem judicii *timeat* ſemper ac veneretur *nomen tuum* admirabile.

11) *Confiteor tibi*, cuncta fatebor & peccata mea & beneficia tua *Domine Deus meus in toto corde meo*, toto conatu & ſtudio: omnem dein ſpem in te reponens *glorificabo nomen tuum in æternum*, hic, & in patria.

12) *Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me* peccatore: *& eruiſti animam meam ex inferno inferiori*, ex ſummis periculis, in quibus verſabar, revocans illam, quaſi ex inferis. Ah! miſericordiæ tuæ o Domine, in acceptis refero, quod poſt primum peccatum grave cum millenis aliis non ſim conſumtus.

13) *Deus iniqui* homines *inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium* in malitia *quæſierunt animam meam*, ut perderent

eam, *& non propoſuerunt Te* Deum *in conſpectu ſuo*, immemores tui omnia videntis & ulciſcentis. Illi tales,

14) *Et tu Domine Deus miſerator* in actu, *& miſericors* in natura: *patiens*, tardus ad iram, *& multæ miſericordiæ* etiam in immerentes, *& verax* in præſtandis promiſſis.

15) *Reſpice in me* benigno vultu, gratioſo oculorum obtutu, *& miſerere mei*, liberando me a malis: *da imperium tuum*, fortitudinem & magnitudinem animi *puero*, ſervo, *tuo*, *& ſalvum fac filium ancillæ* Eccleſiæ *tuæ*, ſervum ex aſſe devotum.

16) *Fac mecum ſignum in bonum*, ah! oſtende aliquo argumento, Te mei curam gerere, *ut videant* maligni, *qui oderunt me* propter te, *& confundantur*, *quoniam Tu Domine adjuviſti me* contra eorum violentiam, *& conſolatus es me* in miſeria hujus ſæculi.

Gloria Patri &c.

Pſalm. 115.

ARGUMENTUM. David in perſecutione Saulis a Rege Achis, apud quem ſe tutum latere poſſe exiſtimavit, rejectus, fallaci-

am

am & inſtabilitatem hominis agnoſcit, hinc a ſolo Deo opem præſtolatur. Sacerdos diſcat ab hoc Propheta infinities melius eſſe ſperare in Domino, quam in hominibus, qui omnes oneroſi conſolatores ſunt, multum promittentes, parum ſervantes. Applica.

1) *Credidi* firmiter Deo, *propter quod* citra metum *loquutus* & profeſſus *ſum* fidem meam; *ego autem* nihilominus poſt talem fidem & conſtantiam *humiliatus ſum nimis.* Hanc ob cauſam

2) *Ego dixi in exceſſu meo*, cum me periculo fuga celeri ſubtraherem: *omnis homo mendax*, nulli fidendum, niſi illi, qui omnibus deferentibus ſolus in vita & morte me non deſerit. Nemo eſt præter Te, o Jeſu. Sola Dei ope huc uſque evaſi; idcirco

3) *Quid retribuam Domino*, quum nihil boni habeam, & plura debeam, *pro omnibus* beneficiis ſuis, *quæ retribuit mihi* indigniſſimo? Quid conſilii?

4) *Calicem* & paſſionem *ſalutaris* adverſitatis de manu Patris optimi gratus *accipiam*, non meis viribus, ſed Dei innixus auxilio, patienter ferendo ferenda, & no-

men Domini, ut me non derelinquat, *invocabo.*

5) *Vota mea*, quæ nuncupavi preſſus malis, & pia illa cordis deſideria *Domino reddam* palam *coram omni populo ejus*, idque propterea; quia expertus ſum, quam *pretioſa* ſit *in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*, ut quandoque Tu, Deus meus, potius mirabilia patres, quam vitam hominis juſti tam facile peſſumdes. Vere beati ſunt omnes ſervi tui!

6) *O Domine*, profiteor, quia ego ſervus tuus, redemtus ſanguine tuo: *ego ſervus tuus*, totus tibi devinctus, utpote & *filius* nativus *ancillæ tuæ*, illius S. Religionis, quæ tibi famulatur.

7) *Dirupiſti vincula mea* peccatorum quibus conſtrictus eram: *Tibi ſacrificabo* me ipſum in *hoſtiam laudis* cum gratiarum actione, *& nomen Domini invocabo*, numquam deſinam tuum implorare auxilium; operæ pretium eſt.

8) *Vota mea*, & ſacrificium laudis *Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus*, ut & ceteri videant opera mea, & glorificent Patrem, qui in cœlis eſt: *in atriis domus Domini*, in ſancta Eccleſia militante,

& *in medio tui, o Jeruſalem*, ubi pax æterna habitat, prædicabo magnalia tua.
Gloria Patri &c.

Pſalm. 129.

ARGUMENTUM. David ardenter exoptat liberari a culpa & pœna ſui gemini lapſus, quem quinquagenarius ob mulierem formoſam commiſit. O Sacerdos Altiſſimi! transfer hunc lapſum Viri ſecundum cor Dei ad te ipſum; deplora, quæ retro ſunt, & in quibus nunc erubeſcis; time deinceps tibi & te, ſi in adulta ætate non velis maculari peccatis, in quæ juvenis lapſus non es.

1) *De profundis*, de voragine peccatorum meorum; de cæcitate intellectus & ſtupore voluntatis, *clamavi ad Te Domine*, qui ſolus potes peccata dimittere, & a malo liberare: *Domine exaudi vocem* & orationem *meam*.

2) *Fiant aures tuæ* pietatis & miſericordiæ *intendentes*, attentæ, *in vocem deprecationis meæ*, qua peto, ut mihi mea dimittas peccata, quod neceſsarium eſt: nam

3) *Si iniquitates* meas *obſervaveris* ſevere excuſsas ad pœnam condignam vocare

volueris: *Domine, quis ſuſtinebit* tuæ rigorem juſtitiæ. Quis conſiſtet coram Te? Nemo, ah, nemo; at licet res ita ſe habeat, ego tamen non deſpero;

4) *Quia apud Te propitiatio*, ipſa benignitas & miſericordia *eſt*; *& propter legem tuam*, qua promittis miſericordiam pœnitentibus, *ſuſtinui Te Domine*, exſpectavi miſericordiam & opem tuam.

5) *Suſtinuit anima mea in verbo ejus*, patienter & longanimiter exſpectavi promiſſam pœnitentibus veniam: *ſperavit anima mea in Domino*, liberante, condonante, & coronante Domine! ſuſtinui nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Quamdiu autem?

6) *A cuſtodia matutina uſque ad noctem*, omni tempore, a primo rationis uſu ad finem vitæ *uſque ſperet Iſrael*, quævis fidelis anima, *in Domino*, non in alio; maledictus enim homo, qui ponit carnem brachium ſuum. Sed quomodo ſperet in Domino? Ah! prorſus confidentiſſime;

7) *Quia apud Dominum* fuit, eſt, & ſemper erit *miſericordia*, ſicuti apud fontem vivum rivulus jugiter emanans, quem ſola deſiccat ingratitudo, *& copioſa apud eum redem-*

redemtio; emti enim ſumus pretio magno, ſanguine Agni immaculati. Ah! ſit ille non ſuper me, ſed in me!

8) *Et ipſe* Filius Dei, non alius, *redimet* proprio ſuo cruore *Iſrael*, eos omnes, qui credunt in eum; *ex omnibus* tam mortalibus *iniquitatibus ejus*, quam venialibus. Tu, o Jeſu, delebis, ut nubem, iniquitates & quaſi medullam peccata mea; revertor ad te, quoniam redemiſti me. Revertor.

Gloria Patri &c.

Antiphon. Ne reminiſcaris, &c. *ut ſupra.*

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos &c. ℟. Sed libera &c.
℣. Ego dixi: Domine, miſerere mei!
℟. Sana animam meam; quia peccavi Tibi.
℣. Convertere, Domine, aliquantulum.
℟. Et deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos.
℣. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in Te.
℣. Sacerdotes tui induantur juſtitiam:
℟. Et Sancti tui exultent.

℣. Ab

℣. Ab occultis meis munda me, Domine.
℟. Et ab alienis parce ſervo tuo.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum:
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Aures tuæ pietatis, mitiſſime Deus, inclina precibus noſtris, & gratia S. Spiritus illumina cor noſtrum, ut tuis myſteriis digne miniſtrare, Teque æterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum; purifica per infuſionem S. Spiritus cogitationes cordis noſtri, ut te perfecte diligere & digne laudare mereamur.

Ure igne S. Spiritus renes noſtros & cor noſtrum, Domine, ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

Mentes noſtras quæſumus, Domine, Paraclitus, qui a Te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.

Adſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus ſancti, quæ & corda noſtra clementer

menter expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quæsumus Domine visitando purifica, ut veniens Jesus Christus, Dominus noster paratam sibi in nobis inveniat, mansionem, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus S. Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SELECTUS

Devotionis præparatoriæ ad Sacrum, per singulos septimanæ dies semper aliæ atque aliæ.

ACCESSUS DIE DOMINICA.

Per te accessum habeamus ad Filium tuum, o benedicta inventrix gratiæ, & genitrix vitæ, sancta Maria, Virgo purissima & Mater sanctissima.

Castissima virgo Maria! rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei in

utero

utero tuo virginali placitiſſimam manſionem præparaſti, ut tuis meritis mereas ab omni macula emundari.

Humillima Virgo Maria! rogo te, ut per profundiſſimam illam humilitatem, qua ſuper omnes choros Angelorum & Sanctorum meruiſti exaltari, ut tuis precibus ſuppleantur omnes negligentiæ meæ.

Amabiliſſima virgo Maria deprecor te per amorem illum inæſtimabilem, qui te inſeparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus præſtetur mihi copia diverſorum meritorum. Amen.

* *Has tres oratiunculas B. Virgo docuit S. Gertrudem, eam certificans, quod virtute earum S. Trinitatem in ſui complacentiam eſſet inclinatura.* Lib. 4. cap. 49.

Intentio & Oblatio.

O Trinitas Deus! immenſe, omnipotens & miſericordiſſime Domine, Pater, Fili, & Spiritus ſancte! cujus Majeſtatem tremunt Angeli & Archangeli, ego miſerrimus & indigniſſimus peccator, conſpectu tuo indignus, toto corde & corpore proſtratus me recipio ad altare tuum, ut tibi Deo ſupremo, excellentiæ infinitæ, tibi

Regi

Regi gloriæ, qui es candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, impuris meis manibus corpus & ſanguinem Filii tui offeram.

Atque hoc in recognitionem tuæ admirabilis in unitate Trinitatis: in proteſtationem tui ſupremi in me & omnes creaturas dominii: in profundiſſimam tuæ amabiliſſimæ providentiæ adorationem & veneration-onem, digniſſimamque exaltationem.

In gratam & intime compaſſivam memoriam illius cruoris a divino fuſione in myſterio circumciſionis tam doloroſe juxta ac ignominioſe profuſi, nec non omnium ipſius ſingultuum & lacrymarum.

In æternam, omnimodamque gratiarum actionem, quod ſis, qui es, infinite beatus in te, & ſumme bonus erga me, in charitate perpetua attrahens me & ab origine mundi inchoans penſum curſus mei.

In perfectam expiationem delictorum juventutis meæ, & ignorantiarum mearum, præſertim omnium quærelarum contra gubernationem providæ ſuavitatis tuæ, omnia a fine in finem fortiter, feliciterque attingentis.

In impetrationem doni ſapientiæ & virtutis caſtitatis famoſæ, nec non gratiæ

magnæ

magnæ & efficacis, ut desperans de me t
taliter & obliviscens mei totaliter, in
num omnimodæ dispositionis tuæ comme
dem me, meaque omnia æternaliter.

Porro ad omnes quoque illas intentio
num sublimitates, quas primo mane feci &
impræsentiarum toto mentis adfectu inno
vo, perque sacratissima corda Jesu & Ma
riæ æternum approbo.

Oratio.

Domine Deus! omnium creator terribili
& fortis, justus & misericors; qui solu
es bonus Rex, solus omnipotens & æter
nus, qui Israel ab omni malo liberasti, qu
fecisti Patres electos & sanctificasti eos
accipe sacrificium pro universo populo tuo
& custodi partem tuam, & sanctifica, u
sciant gentes, quia tu es Deus noster.

Soliloquium cum Christo.

O dulcissime & benignissime JESU! qua
lem caritatem dedit nobis Pater, dum fi
dilexit mundum, ut te Filium suum unige
nitum nobis daret? O *qualis* hic Pater
quam bonus & amans, qui tanto amori
æstu hoc cor tum nobis miseris largitur?

O

O *quale* hoc donum? Sane dilectiſſimum ac pretioſiſſimum, quod habebat. . . Donum ſine pretio; dando enim te nobis, dedit & ſe & Spiritum ſanctum, unum in Trinitate Deum. *Cui* dedit? omnibus, etiamſi aliqui valde abjecti & magni peccatores ſint, ut omnes illud in ſua viſcera immittant, Sacerdotes autem in manus ſuas accipiant.

O memoriale præcipuum divini amoris! in illo fervoris æſtu, quando paratus eras, amantiſſime Jeſu! pro nobis in mortem tradere vitam tuam, ab exceſſu amoris majus opus agere coactus es, quam umquam operatus fuiſti ab origine mundi.

Ideo in perſona tua ad Dominum Prophetа ait: *Zelus domus tuæ commedit me.* Pſal. 68, 10. 2. e. Immenſus animarum zelus, & zelans amor me comeſtibilem fecit.

Poſitus in agonia ſudaſti guttas ſanguinis . . . & ſudore vultus tui promeruiſti nobis panem hunc cæleſtem, propemodum omnem vim amoris effundendo amicis, antequam tu ipſe ſicut aqua effundereris pro inimicis. Quis tam Amantem non redamet?

O Deus in amando immenſe, & in donando profuſiſſime! quis mihi det, ita te

amare

amare, ſicut me amas, ut dem tibi, quid-quid a me petis? Summo amore dediſti mihi ſummum, quod habebas in te; ah! ut cum omni cordis mei amore ſummum quoque, quod habeo a te, tibi denuo of-feram, ſicque oſtendam meum erga te re-ciprocum amorem.

Unde autem, Domine, tam admirabilis operatio tua, ut præſtes mihi te ipſo ſum-mum amorem? Ecce! tu ſanctus, ſanctus, ſanctus, & ego peccator viliſſimus.

Tu noſti ſervum tuum, & ſcis, quia nil boni in ſe habet, unde hoc illi præſtes.

Confiteor igitur vilitatem meam, agnoſco bonitatem tuam, laudo pietatem & gratias ago propter nimiam charitatem tuam.

Propter temetipſum enim hoc facis, non propter mea merita; ut bonitas tua mihi magis innoteſcat, charitas amplior ingera-tur & humilitas perfectius commendetur.

Quia ergo tibi hoc placet, & tu ſic fie-ri juſſiſti; placet & mihi dignatio tua: & utinam iniquitas mea non obſiſtat.

Virtutum actus præcipui.

O ſumme Sacerdos, & vere Pontifex Jeſu Chriſte! ſcio: vere ſcio, & idipſum pieta-

ietati tuæ confiteor, quia non ſum dignus
d tantum myſterium accedere, propter
imia peccata mea, & infinitas negligen-
tias meas.

Quoniam autem ipſe dixiſti: *Non eſt opus valentibus medicus; ſed male habentibus*: ecce! ſuper hac bonitate tua confiſus accedo tamquam infirmus ad medicum vitæ, & tamquam immundus ad fontem miſericordiæ, ut meam curare digneris infirmitatem & lavare fœtiditatem.

Recordare, Domine, creaturæ tuæ, quam ſanguine tuo redemiſti. Pœnitet me peccaſſe. Totis viribus mentis & cordis & animæ me pœnitet ac dolet. Cupio emendare, quod feci.

Ignoſce Domine Deus, & age cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam; & fiant mihi ſancta myſteria in medelam, in purificationem, in antidotum & ſanctificationem animi & corporis, non autem in judicium & condemnationem.

Credo & teneo conſtanter, o benigniſſime Jeſu! profiteorque indubia fide, te providentiſſimum amorem in hoc Sacramento vere ac reipſa præſentem eſſe, quia tu, ipſa incarnata veritas & ſapientia dixiſti: *Hoc eſt corpus meum.* Prop-

Propter tuam infinitam potentiam, bonitatem & in promiſſis adimplendis fidelitatem ſpero per hoc ſacrificium auxilia neceſſaria, imo & ſuperabundantia; ſpero quoque omnium operum, officiorum, conſiliorum & conatuum meorum optatum ſucceſsum.

Amo & æſtimo te, o dulciſſime Servator, quia propter temetipſum digniſſimus es, ſuper omnes amari & æſtimari, qui tanta facis & ordinas amore noſtri. En! intendo & exero omnes vires meas, totisque animæ meæ viſceribus amo, & amo, & deamo te, o Deus! o Amor digniſſime!

O ſuavis amœnitas intimorum amplexuum! ſitit in te anima mea, quam multipiciter tibi caro mea; quando adſtabo & videbo, quam ſuavis Domine, ſpiritus tuus! cito, cito deſcende in cor meum, quia oportet te hodie in corde meo manere. Veni Domine!

O ſapientia! quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti attingens a fine uſque in finem, fortiter ſuaviterque diſponens omnia: veni ad docendum nos viam prudentiæ!

„ Cum ſumma devotione, & ardenti
„ amore, cum toto cordis affectu & fer-

„ vore

re desidero te, Domine, suscipere, „ emadmodum multi Sancti te desidera- „ runt, qui tibi maxime in sanctitate vi- „ tæ placuerunt, & in ardentissima devo- „ tione fuerunt.“ * *Repetatur.*

Ad S. Josephum.

Ant. O felicem virum B. Joseph, cui datum est Deum, quem multi Reges voluerunt videre & non viderunt: audire, & non audierunt; non solum videre & audire, sed portare, deosculari, vestire & custodire.

℣. Ora pro nobis B. Joseph.
℟. Ut digni &c.

Oremus.

Deus, qui dedisti nobis regale sacerdotium, præsta, quæsumus, ut sicut B. Joseph unigenitum Filium tuum ex Maria Virgine suis manibus reverenter tractare meruit & portare; ita nos facias cum cordis munditia & operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui corpus & sanguinem hodie digne sumamus, & in futuro sæculo præmium

habere mereamur æternum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

* *SS. DD. Pius VII.* 23. *Sept. indulgentiam unius anni, applicabilem etiam in suffragium animarum sanctarum in purgatorio concessit in perpetuum omnibus Sacerdotibus sæcularibus & regularibus toties, quoties supra positam orationem devote recitantibus.*

Ad SS. Angelos.

Sancti Angeli & Archangeli, Spiritus cœlestes, & Spiritus Domini mei, qui exequimini divinæ providentiæ ordinationes! ad vos oro, ad vos clamo, subvenite, & succurrite mihi, fidem meam & spem roborate, vestrique amoris flammam in me excitate.

Approximatio Sacerdotis ad offerendum Sacrificium.

Sanctifica, Altissime, tabernaculum tuum, & reple me cœlesti benedictione Tua gratia tua in Filio tuo Jesu Christo, ut sim sanctus corpore & spiritu, per oblationem corporis sui.

Summa, qua possum, animi demissione venio

venio ad te & maxima cordis fiducia pulſo ad oſtium miſericordiæ tuæ, devotiſſime orans & ſupplicans, ut digneris mihi omnia mea peccata dimittere, & ad dignam præparationem animæ meæ vel unicam amoris tui flammulam in corde meo accendere, qua conflagrans omni devotionis & amoris æſtu ſanctiſſimum hoc ſacrificium ad laudem nominis tui peragere valeam.

Hic oſculare imaginem Crucifixi, & dic cum S. Gert.

O mi amantiſſime Jeſu! ex intimo cordis mei te deoſculans rogo cum devotione omnium orationum, quæ umquam de corde tuo dulciſſimo profluxerunt, ut ad hoſpitiolum cordis mei digneris amanter declinare, quatenus cum Zachæo merear a te benedici, ac inter filios Abrahæ computari.

* *Jam acceſſurus meditare: quis, ad quem, & quo fine venturus ſit. Innova intentionem, deſiderium & humilitatem, qua inter iteratas pectoris tui percuſſiones dicas in toto corde & animo: „ Domine propter vilitatem meam naturalem, „ & multam iniquitatem, cumprimis „ autem propter infinitam Majeſta-*

„ tem tuam, non tantum non ſum dignus
„ ſed indigniſſimus; quia autem miſericor
„ & miſerator Dominus es, propitius eſ
„ mihi peccatori propter nomen ſanctum tu
„ um.“ Sis juſtificatus in domum tuam de
ſcendes.

Accessus die Lunæ.

Per te acceſsum habeamus ad Filium tu
um, o benedicta inventrix gratiæ, &
genitrix vitæ, ſancta Maria, Virgo puri
ſima & Mater ſanctiſſima.

O beatiſſima Spiritus ſancti Sponſa! ſi
me meritis ac virtutibus tuis, ſic me gra
tia & gloria tua exornes, rogo, quem
admodum te Spiritus ſanctus exornavit F
lio tuo, Deo tuo, ad te omni gratiaru
ſuarum plenitudine venturo & in viſcer
bus tuis incarnando. O Mater & Virgo
quomodo ſine interceſſionibus tuis hun
Filium tuum, Deum meum, ac Jeſum m
um, recipere, & tractare præſummam
Ora pro me.

Intentio & Oblatio.

Sanctiſſime Domine mi & Pater mi e
lectiſſi-

lectissime! ego indignior præ ceteris, qui obvertam oculos illi sacræ mensæ, ubi Dominus noster Jesus Christus in tremendum sacrificium mystice proponitur, ante thronum gloriæ tuæ humi provolutus, volo & intendo, totus quantus, omnipossibili amoris, reverentiæ ac devotionis adfectu SS. Missæ sacrificium altissimæ & adorandæ Majestati tuæ, cui soli debetur, juxta omnes possibiles meritorias intentiones, intentionumque sublimitates offerre; nominatim autem desidero atque propono idem corpus eumdemque sanguinem, quem Spiritus sanctus de purissimo pretiosissimæ Virginis Mariæ sanguine Jesu Christo adoptavit, illudque summa in nos sua caritate conformavit ex pane ac vino nunc consecrare atque conficere.

Ut in Persona omnium creaturarum tum rationalium quam irrationalium; omnium sanctorum cathalicorum, qua consecrantium qua communicantium tantum, protester coram cœlo & terra, tibique: Altissime! medullitus gratuler omnem honorem, laudem & adorationem a creaturis tuis, præsertim autem abs sanctissimæ humanita-

tis Chriſti infinite meritoriis actibus internis ac externis umquam exhibitam.

Ut profundiſſima cum ſubmiſſione intellectus & ſumma cum exultatione cordis tibi faveam digniſſimeque exaltem infinitarum tuarum perfectionum plenitudinem, præſertim tuam in Deitate fœcunditatem, qua tertiam in divinis perſonam, Spiritum ſanctum, producis, Sanctificatorem animæ meæ, ſine cujus gratia nihil ſum, nihil ſcio, nihil valeo, quapropter autem ſumme exulto.

Ut omni poſsibili devotionis affectu, mediante hac ſancta oblatione Regis Sanctorum omnium, Spiritum ſanctum proſequar cultu latriæ, Virginem ſponſam ſuam, genitricem Dei Mariam, cultu hyperduliæ, omnesque diſcipulos Domini in cœnaculo die Pentecoſtes Spiritu ſancto ex alto indutos, & hunc Sanctum N. (hanc Sanctam N.) cultu duliæ omnium perfectiſſimo.

Ut mente intime compatientis faciam in memoriam magni illius pavoris & mœſtitiæ, nec non vehementiſſimæ anxietatis & ſudoris ſanguinei Chriſti Domini in horto oliveti in faciem ſuam proſtrati, & ad Patrem eumdem ſermonem tertio orantis:

Abba

Abba Pater! non quod ego volo, ſed quod tu:

Ut pro omnibus donis ac datis perfectis a te Patre luminum deſcendentibus, ſpeciatim pro omnibus piis inſpirationibus ac motibus ſupernis, immenſas ac æternas grates ſiſtam & agam.

Ut pro peccatis a me contra temperantiam & alias virtutes commiſſis, cumprimis per inobedientiam contra divinos tuos inſtinctus, condignam exhibeam ſatisfactionem.

Ut multum orem pro dono intellectus & virtute ſeu dono maximo temperantiæ, nec non pro aliis multis, magnis, neceſſariis, efficacibus Spiritus ſancti auxiliis.

Porro, ad omnes quoque illas intentionum ſublimitates, quas primo mane feci, & impræſentiarum toto mentis adfectu innovo, perque ſacratiſſima corda Jeſu & Mariæ æternum approbo.

OREMUS:

Placeat tibi, Domine Deus! hoc ſacrificium dilecti Filii tui, per quem eſt tibi gloria in Eccleſia in omnes generationes.

Soliloquium cum Chriſto.

O nimiam dilectionem, qua dilexiſti nos, quum adhuc inimici tui eſſemus. In qua nocte tradebaris accepiſti, bone Jeſu, panem in venerabiles manus tuas, exceſſivo actui perfidiæ opponens exceſſivum actum charitatis, ut in tenebris humanæ malitiæ magis ſplendeſcere facerer tuam bonitatem. *Lux in tenebris lucet.*

Quis loquetur miſericordias tuas, & dignationem tuam, Nate Dei, Domine Jeſu Chriſte, redemtio mea, miſericordia mea, ſalus mea?

Tu Domine ſcientiarum & ſcrutator cordium prævidiſti, quot ex tuis fidelibus tecum Juda impio eſſent recepturi, & quot alii innumeri divinum hoſpitem ex corde ſuo ſtatim iterum eſſent propulſuri, hoc tamen non obſtante, quum dilexiſſes tuos, in finem dilexiſti eos, ut adimpleretur, quod ſcriptum eſt: *Hoſpitabitur & paſcet & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet* Eccli. 29.

O quot ex indigne communicantibus & ſacrificantibus tibi, infinito Amatori ſuo hodie adhuc velant faciem, & conſpuunt in eam, dum mortua fide accedentes non

adver-

advertunt ſe a te videri & ipſorum impuritatem vindicari!

O quoties datur Sanctum canibus & projicitur margaritha ante porcos, quæ omnia toleras cum infinita patientia in gratiam electorum tuorum, ut nobiscum maneas.

O miſerator & miſericors Dominus! O amor, qui ſemper ferves, & numquam tepeſcis! Unde mihi verbum, ut exſplicem ſigna dilectionis tuæ maxime erga me?

Quid cogitabo in acceſſu ad Dominum & tantum Amatorem meum, cujus charitatem multæ aquæ perſecutionum & injuriarum non potuerunt extinquere?

Quid cogitabo melius & ſalubrius, niſi me ipſum totaliter humiliando coram te, & tuam infinitam bonitatem ac longanimitatem exaltando ſuper me?

Laudo te, Deus meus, & exalto in æternum. Deſpicio me & ſubjicio tibi in profundum vilitatis meæ. Ecce! tu inclinas te ad me, qui non ſum dignus ad te reſpicere.

Quoniam autem major eſt dignatio & miſeratio tua, quam indignitas & malitia mea: diverte, obſecro, diverte ad me hominem peccatorem, & mirifica miſericordias tuas ſuper me, qui ſalvos facis ſperantes in te.

Actus virtutum præcipui.

O ſalus mea, Redemtor meus, qui veniſti in mundum peccatores ſalvos facere: Credo nihil hæſitans, quod in omni hoſtia vere conſecrata tu Deus Homo, qui cum peccatoribus manducabas, vere ac realiter continearis. Hoc autem credo, quia teſtimonium tuum, Domine, fidele, & ſequentibus ſignis, credibile factum eſt nimis.

O qualis invitatio & quanta mihi neceſſitas, ſperandi in te & innitendi ſuper te omnipotentem, ac miſericordiſſimum? O Domine, o amor mi, & totum refugium meum! in te ſperans non infirmabor.

Verum quid ago, ſi deſero amicum tam antiquum & tam novum ſemper? Quid amo, te meum ſummum, meum æternum & infinitum bonum non ſuper omnia creata amo! —

O amans & amandiſſime Jeſu! ego amo te, & amo te ſuper me & omnia; quia tu es Deus meus, & omnia, Bonitas ſempiterna.

O Charitas vere infinita! utinam te numquam offendiſſem! utinam te ſemper amaſſem! De omnibus & ſingulis peccatis & negligentiis meis, quibus dulciſſimam benigni-

gnitatem tuam umquam offendi & contriſtavi, amore tui vehementiſſime doleo.

Foras peccata, foras; intro veniat Deus meus. Veni columba mea, ſpecioſa mea! & in corde meo fac nidum tuum.

Sicut pupillus benigniſſimi Patris orbatus præſentia flens & ejulans inceſſanter ejus dilectam faciem toto corde deſiderat: ſic ego non quantum debeo, ſed quantum poſsum, ingemiſco ad te, & grandi affectu clamo poſt te.

O Adonai, & dux domus Iſrael! qui Moyſi in igne flammæ apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti: veni ad redimendum nos in brachio extento.

Et nunc Domine imple omne deſiderium meum, ſecundum divitias tuas, & non confundas me ab exſpectatione mea.

„ O Deus meus, amor æternus, totum
„ Bonum meum, felicitas interminabilis,
„ cupio te ſuſcipere cum vehementiſſimo de-
„ ſiderio, & digniſſima reverentia, quam
„ aliquis Sanctorum umquam habuit & ſen-
„ tire potuit.

„ Utinam, ah! millies utinam prop-
„ ter eminentiſſimam dignitatem tuam in
„ cor meum omnes actus poſſibilis devo-

„ tionis, & omnia inflammata desideria lo-
„ corum & temporum quorumvis concen-
„ trare possem. * *Repetatur.*

Ad Spiritum S.

O sanctissime Dei Patris & Dei Filii Spiritus! per hujus pretiosi corporis sanguinisque dignitatem, peto indignissimus ego, ut venire digneris in animam meam, & dare illi copiosa & tibi placita dona tua, quibus tibi serviat gratiæ tuæ, & perseveret in caritate tua. Spiritus Altissimi! obumbra mihi, & descende super me. Domine, descende! o lux beatissima cordium! quibus te desiderabo votis, quibus ad te anhelabo tædiis, quibus ad te aspirabo votis! Veni S. Spiritus! veni & visita derelictum. Consolare mœrentem. Exhibe misero viscera misericordiæ tuæ.

Ad S. Josephum.

Oratio.

Indulgentialis, ut supra pag. 49.

Ad sanctos Apostolos & Spiritus Domini.

Sancti Apostoli, & discipuli Domini!

orate

orate pro me, ut vobiscum induar virtute ex alto, & prædicem magnalia Dei.

Puriſſimi Spiritus! purgate, perficite & dirigite me, ut veſtra nitens puritate & innocentia collocer in conſpectu Altiſſimi.

Approximatio Sacerdotis ad offerendum Sacrificium.

Sanctifica Altiſſime &c. *ut ſupra pag.* 50.

Accessus die Martis.

Per te acceſſum habeamus ad Filium tuum, o benedicta inventrix gratiæ, & genitrix vitæ ſancta Maria, virgo puriſſima & Mater ſanctiſſima!

Memorare, o piiſſima virgo Maria, Mater miſericordiarum, & totius conſolationis! a ſæculo non eſſe auditum, quemquam ad tua currentem præſidia, tua implorantem auxilia, aut tua petentem ſuffragia, a te fuiſſe derelictum; idcirco tali animatus fiducia ad te confugio & coram te ſupplico, ut per tuum patrocinium ab æterno Patre dilectiſſimum Filium tuum conſequi merear. Noli æterni verbi Mater verba mea deſpicere.

Intentio & Oblatio.

Liberaliſſime & munificentiſſime Domine, Rex Angelorum & Deus cœli! dejicio me in abyſſum viliſitatis nihili mei, & multitudinis peccatorum meorum, ſub conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ, & in unione primi, ac ſummi Sacrificii, quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, hodie tibi per manus SS. Angelorum offerre intendo Sacrificium corporis & ſanguinis ejusdem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Primo in explicitam latreuticam adorationem tuæ auguſtiſſimæ & amabiliſſimæ Majeſtatis, recordantis nominis mei, & in miſericordia æterna me propter merita Chriſti ex utero matris meæ de communi hominum maſſa ſegregantis a ceteris populis, ut eſſem tuus, & peculiaris ex populo tuo atque Angelo meo mandantis de me, ut cuſtodiat me in omnibus viis meis.

Secundo in perpetuam & te digniſſimam gratiarum actionem pro tutela Angeli tutelaris, in cujus honorem hoc præſens Sacrificium, hac die ipſi ſacra, ſpeciatim offero; nec non pro confirmatione in gratia

ſed

ſed & pro miſericordiſſima vocatione ad hunc ſtatum, & in ſortem filiorum atque pro omnibus gratiis ac prærogativis ſtatui meo connexis.

Tertio in gratam & intime compaſſivam commemorationem ignominioſiſſimæ Chriſti Domini denudationis, inclementis ſuæ ad columnam alligationis & crudeliſſimæ per flagellorum atrocitatem excarnificationis.

Quarto in exactam ſatisfactionem pro peccatis a me contra caritatem & ſtatus mei obligationes, quocumque tandem modo, commiſſis.

Quinto in humillimam poſtulationem & efficacem impetrationem doni prudentiæ & virtutis caritatis, nec non horariæ devotionis erga genium cœleſtem, imprimis autem efficaciſſimæ, pleniſſimæ, opportuniſſimæque ſemper gratiæ digne ambulandi vocatione, qua vocatus ſum, ut ſim exemplum fidelium.

Porro ad omnes quoque illas intentionum ſublimitates, quas primo mane feci & impræſentiarum toto mentis adfectu innovo, perque ſacratiſſima corda Jeſu & Mariæ æternum approbo.

OREMUS:

Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui, ex quo & ex cujus meritis omnis mea sufficientia est, quemque cum omnibus suis excessivis gratitudinis actibus & obsequiis infinitæ dignitatis, in compensationem & remunerationem omnium singularium donorum tuorum, infinitæ Majestati tuæ, omni, quo possum affectu, præsento, ut tuam misericordiam super me multiplicare & tuam liberalissimam manum aperire numquam non digneris.

Soliloquium cum Christo.

O dulcis & delectabilis cœna, dum tu Dilectus animæ meæ in mensa cordis susciperis, & amplexibus amoris adstringeris. Dum in hac vita sumus, ut terra nobis cœlum fiat, facit hoc salutiferum & omni suavitate repletum mysterium amoris tui, nam quod pius quisque velit, id late sapit manna eucharisticum, deserviens uniuscujusque voluntati.

O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! Jerusalem surge & sta in excelso; ascendet Dominus super nubem levem, & ingredi-

etur

etur Ægyptum cordis noſtri. Ito obviam Salvatori tuo.

Et unde hoc mihi, quod tu Domine Deus, creator & vivificator omnium ſpirituum, ad pauperculam dignaris venire animam, & cum tota Divinitate tua ac Humanitate ejus impinquare eſuriem.

O felix, & beata anima, quæ te Dominum Deum ſuum meretur devote ſuſcipere, & in tua ſuſceptione ſpirituali gaudio repleri.

Si paululum farinæ, quam Eliſæus miſit in ollam carnium, tamquam mortem amaram ſatis fuit, ut nihil amaritudinis in olla remaneret; quomodo panis iſte de cœlo deſcendens non ſufficiet ad dulcorandam omnem vitæ hujus amaritudinem?

Pie Jeſu! Paſtor vere! nam parentes quidem aliis ſæpe filios tradunt alendos, tu autem non ita, ſed carnibus tuis oves tuas alis, & te ipſum nobis apponis, tuis nobiscum deliciis perfruens, quemadmodum teſtaris: *Deliciæ meæ eſſe cum Filiis hominum*: O pie Pelicane, & optime Paſtor, dulcis Jeſu! lætifica hodie animam ſervi tui, & trade te mihi, quoniam ad te Domine Jeſu, animam meam levavi.

Ecce in te eſt totum, quod deſiderare poſſum & debeo. Tu ſalus mea & Redemtio; ſpes & fortitudo, decus & gloria.

Veniat quæſo ſuper me miſericordia tua ut conſoletur me, ſine qua nemo dignus eſſe poteſt bonis tam infinitis, ut ad magnificum Sacramentum tuum devote merear accedere, & guſtare in ſpiritu ſuavitatem tuam, quoniam bonus Dominus animæ quærenti illum.

Virtutum actus præcipui.

Dominus meus & Deus meus! coram tua divina Majeſtate, fallere & falli neſcia humillime proſtratus & captivans intellectum in obſequium loquelæ tuæ, credo firmiter, ſacratiſſimum corpus & ſanguinem tuum, o Jeſu! peracta conſecratione ſacerdotali, vere, realiter ac ſubſtantialiter ſub unaquaque ſpecie contineri. Credo, Domine, ſed adjuva incredulitatem meam.

Deus meus miſericordia mea! quoniam tibi proprium eſt miſereri ſemper & parcere; quoniam vel ipſi clavi & lancea clamant pro me: habeo fiduciam in toto cor-

de

de meo, quod per merita paſſionis & mortis tuæ remiſſurus ſis mihi omnia peccata mea, & gratiam largiturus, eundi de virtute in virtutem, donec videam te Deum Deorum in Sion.

Deus meus & omnia, ſciens cui credidi, quia tu es ipſa bonitas & pulchritudo & ſumma excellentia atque dignitas omni amore infinite digna: propter hanc eſſentialem bonitatis ac pulchritudinis atque excellentiæ tuæ plenitudinem ac perfectionem, quam tibi gratulor ex animo, ego indignus ſervulus tuus amo te, & amando complector te; amo autem & complector te ſicut amas & complecteris te ipſum in te. O Deus! ego amo te, & amo te toto te.

O ſummum & eſſentiale bonum, omnium creaturarum amore digniſſimum! omnia mei cordis & oris & operis errata, omnes defectus & negligentias averſor & deteſtor, dolens de iis ſuper omnia dolenda, quia tibi ſumme ſancto & amabiliſſimo Domino ſunt oppoſita & ſummopere diſplicita: Doleo.

Qui dilexiſti me & in ſanguine tuo lavaſti me, ſemper vivens ad interpellandum pro me: miſerere & reſpice ſuper contri-

tum

tum & humilem corde, quoniam invocavi te. Domine miserere!

Esto mihi propitius, Jesu bone, dulcis ac benigne. Dele omnia peccata in illo amore, quo totius solvisti mundi delicta. Riga, obsecro, aridam animam meam amoris illis lacrymis, quas flens super civitatem & super omnes peccatores, quorum ego primus sum, in cruce cum obtecrationibus fudisti. Unge eam myrha dolorum, quos sustinuisti, & purifica eam pretiosissimo sanguine tuo, quem ex sacrosanctis vulneribus tuis tam copiose scaturire fecisti.

Et nunc, quid supersest, nisi ut venias ad me! En anima mea corpus tuum concupisci, & cor meum tecum uniri desiderat.

„ Domine, quæcumque potest pia mens
„ concipere & desiderare, hæc omnia tibi
„ cum summa veneratione præbeo & offe-
„ ro, nihil opto mihi reservare, sed me &
„ omnia mea tibi sponte & libentissime im-
„ molare. Utinam propter tuam dignitatem
„ talem ac tantam devotionem, talem ac
„ tantum amorem haberem, quali umquam
„ redundabat cor Mariæ, ac Summorum de
„ Sanctis tuis. * *Repetatur.* In-

Ingredere ergo, Benedicte Domini! ingredere & visita me in salutari tuo.

O Radix Jesse, qui stas in signum populorum! super quem continebunt os suum, quem gentes deprecabuntur: veni ad liberandum nos; jam nobis tardare.

Ad S. Josephum.

Oratio.

Indulgentialis ut supra pag. 49.

Ad S. Angel. Cust.

Azaria frater, Angele mi, sancte custos! rogo te, quum videris socios tuos Angelos Dei ascendentes & descendentes super Filium hominis: O! siste illos, & invita, ut comitentur Dominum in occursum mihi: Genuflecte coram illo, quum jam in throno cordis mei sederit, & doce me reverentiam debitam & amoris ceremonias illi exhibere.

Approximatio Sacerdotis ad offerendum Sacrificium.

Sanctifica Altissime, *ut supra pag.* 50.

ACCESSUS DIE MERCURII ET DIE FESTIVO ALICUIUS SANCTI VEL SANCTÆ.

Per te acceſſum habeamus ad Filium tuum, o benedicta inventrix gratiæ & genitrix vitæ, ſancta Maria, virgo puriſſima & Mater ſanctiſſima.

Adjuro te, o Filia Jeruſalem! ut nunties dilecto tuo, quia amore & deſiderio ejus lanqueo. Fac, glorioſa Domina, excelſa ſuper ſydera! ut illo amore ardeat cor meum, quo omnes vires, omnes potentiæ, omnesque motus animæ meæ, in Jeſum tuum trahantur.

O Regina Sanctorum omnium! impetra, ut eo affectu ego & hodie & ſemper deinceps Jeſum Chriſtum Filium tuum immolem & ſummam, quo affectu & quibus devotionibus Sanctus N. (Sancta N.) eumdem Dominum in Sacramento ſummere conſuevit.

Intentio & Oblatio.

O Rex Sanctorum & infinitarum perfectionum auctor omnis, Domine Deus meus! quia dediſti nobis unigenitum Fili-

um

um tuum, tamquam hoſtiam puram & immaculatam in ara crucis pro nobis miſeris peccatoribus, & qui dediſti nobis ejusdem D. N. J. Chriſti carnem ad manducandum & ſanguinem ad bibendum, rogo te per eundem illum ſanguinem, magnum ſalutis noſtræ pretium: rogo per hanc miram & ineffabilem caritatem, qua nos miſeros & indignos ſic amare dignatus es, ſuſcipe hanc ſalutarem hoſtiam, quam Majeſtati tuæ cum omni alio SS. Miſſæ ſacrificio, nec non cum precibus ac meritis hujus Sancti N. (Sanctæ N.) offero,

Ad maximam & ſempiternam tui laudem & gloriam, in odorem ſuavitatis: ad proteſtandum, quod ſis principium & auctor omnium donorum naturæ, gratiæ & gloriæ, quibus Sanctum (Sanctam) cujus hodie dies feſtiva agitur, ornare dignatus es: ad dignam adorationem, approbationem & exaltationem omnium voluntatis tuæ ſuaviſſimæ ordinationum, totiusque circa illum Sanctum (illam Sanctam) circa me ac meos œconomiæ:

Ad piam & amoroſam omnium illuſionum, opprobriorum, ſpinarum & cruciatuum, tempora Chriſti Domini perforanti-

um,

um, & ſanguinem cum humore permixtum in regium collum ubertim defluere facientium, recogitationem:

Ad augmentum honoris & exaltationis creatæ Trinitatis, Jeſu Mariæ, & Joſeph, SS. Patronorum meorum, & ſignanter iſtius Sancti N. (Sanctæ N.)

Ad immenſam gratitudinem pro omnibus beneficiis, creatæ Trinitati, Jeſu, Mariæ, Joſepho, SS. Patronis meis, & præſertim huic Sancto N. (Sanctæ N.), mihique indigniſſimo a voluntate tua amabiliſſima collatis aut conferendis in æternum:

Ad remiſſionem & condignam ſatisfactionem atque recompenſationem omnium inobedientiarum contra voluntatis tuæ beneplacitum a me commiſſarum, omniumque ſuperbiæ, vanitatis & præſumtionis, ceterarumque noxarum deletionem:

Ad ſupplicationem, ut digneris dare & augere in me virtutem hujus Sancti N. (Sanctæ N.) caracteriſticam, atque ut facias me in omnibus meis actionibus deinceps nihil aliud quærere, niſi cibum Filii tui & cibum Redemtoris mei, nimirum puram & ſolam voluntatem tuam.

Porro ad omnes quoque illas iutentionum

ſub-

ſublimitates, quas primo mane feci, & impræſentiarum toto mentis adfectu innovo, perque ſacratiſſima corda Jeſu & Mariæ æternum approbo.

OREMUS:

O Domine Deus! ſuſcipe, quam tibi vero corde & plenitudine fidei offero placabilem hoſtiam divinæ Majeſtati tuæ in hac domo propitiationis Filium tuum unigenitum, Jeſum Chriſtum, ut in beneplacito nominis tui memor ſis tam vivorum quam mortuorum fidelium, eorum præſertim, pro quibus orare teneor!

Soliloquium cum Chriſto.

Quis ſtabit ad videndum te? Et nunc Filius hominis tradetur in manus peccatoris, deſideratur cunctis gentibus, Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos.

O caritas! o divinæ affluentiæ, largitatis & affectus incomprehenſibilis, quo tu Dei Filius in hoc Sacramento nos mortales, & cumprimis me indignum ſacerdotem proſequeris!

O Domine Jeſu! o carorum omnium cariſſime!

riſſime! vere tu mihi ſponſus ſanguinum es. Quo, obſecro, Nate Dei, tua deſcendit humilitas & proceſſit pietas?

Gratias tibi ago pro omnibus iſtis miſerationibus tuis. Cui comparabo jam te, vel cui aſſimilabo te, mi dulcis & amore hominum flagrantiſſime, ab iſtis autem ingratis poſtpoſite Redemtor?

O amans & amabilis Jeſu! o ſine ſpecie ſpecioſus & ſine decore decorus! quando redamabo te, & amore pereffluam in te, qui ſic dilexiſti me, ut, quum ſis omnipotens, plus dare non potuiſti: quum ſis ſapientiſſimus, plus dare neſciviſti: quum ſis ditiſſimus, plus dare non habuiſti?

O ſtupendum ſuper omnia miraculum & amoris & humilitatis ac dignationis! Cui enim Angelorum dixiſti aliquando: Accipe & manduca; hoc eſt enim corpus meum!

Stupent ad hoc cœli, & Angeli myſterium attoniti venerantur, dum infra ſe vident, quem ſupra ſe ſemper adorant.

Domine! illumina oculos meos, ad intuendum tantum myſterium, & ad credendum illud indubitata fide me robora.

Eſt enim operatio tua; non humana potentia: tua ſacra inſtitutio; non hominis adinventio.

Non enim ad hæc capienda & intelligenda aliquis idoneus per se reperitur, quæ angelicam etiam subtilitatem transcendunt.

Quid ergo ego, peccator indignus, terra & cinis, de tam alto sacro secreto potero investigare & capere!

Domine! in simplicitate cordis mei, in bona firma fide, & in tua jussione ad te cum spe ac averentia accedo: & vere credo, quia tu præsens es hic in Sacramento, Deus & homo.

Vis ergo, ut te suscipiam & me ipsum tibi in charitate uniam.

Unde tuam precor clementiam, & specialem ad hoc imploro mihi donari gratiam, ut totus in te liquefiam & amore perefflu-am, atque de nulla aliena consolatione amplius me intromittam.

Virtutum actus præcipui.

Te oportet adorare Domine, & ego procidens in faciem meam, adoro te toto corpore ac mente, benedicens nomen sanctum tuum, quia fecisti hanc rem, memoriam mirabilium tuorum.

Non est factum opus tale in universis terris, opus sine exemplo, humanitas sine

modo, donum ſine pretio, gratia ſine me
rito.

Novi me indignum, qui accedam ad men
ſam dulciſſimi hujus convivii, ſciens pec
cata mea multa & magna, pro quibus ti
meo, & de quibus in amaritudine anim
meæ doleo, quia te infinite bonum & ama
bilem ex toto corde amo.

Dixi: amo te, & amo te gratis; qui
ſic amari dignus es; quia tu in te ac prop
ter te totus amabilis es.

Amo te, ſed oro: ah! Domine noli aſpi
cere amorem, quo te amo, ſed quo deſi
dero amare te ſumme, omni perfectione
intenſione ac intenſione, qua poſſum.

Væ tempori illi, o Bonitas infinita, &
Charitas æterna! æternum væ momento illi
quo non te ſed me amavi, & te offendi

O pia Deitas! o tremenda Majeſtas! ego
miſer inter anguſtias deprehenſus ſpero i
miſericordias tuas, quarum non eſt num
rus.

Reſpice in me oculis miſericordiæ tuæ
Domine Jeſu Chriſte! Rex æterne, Deu
& homo, crucifixus propter hominem.

Exaudi me ſperantem in te. Miſere
mei pleni miſeriis & peccatis, tu, qui fo
tem

tem miſerationis nunquam manare ceſſabis.

Sanctifica animam deſiderantem te, animam quærentem te, animam properantem ad te.

Veni dilecte mi, & veniant ſuper me univerſæ benedictionēs tuæ: Ecce ſtas ad oſtium, & pulſas. Aperio tibi januam cordis mei, ut intres in me, & habites in me. Habeto clavem, & accipe omne deſiderium illius, qūo vellem hoc momento omnium devotorum cordium ardentes affectus in animæ meæ penetralibus & innovari & multiplicari & tibi exhiberi.

O clavis David, & ſceptrum domus Iſrael! qui aperis & nemo claudit: claudis & nemo aperit: veni & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris & umbra mortis:

Veni o Amabilis! veni o Deſiderabilis! quia quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: Largire! quod peto, & dona mihi, quod quæro.

O Pater! da mihi Filii tui unigeniti dulciſſimum cor! o Jeſu! da mihi te ipſum, o Spiritus ſancte! da mihi corpus & ſanguinem Domiui mei & Redemtoris mei.

Ad S. Joſeplum.

ORATIO.

Indulgentialis ut ſupra pag. 49.

Ad ſanctos Patronos.

O vos Sancti Dei, cumprimis vos electi Patroni mei! veſtrum imploro auxilium, ut meum, quod oblaturus ſum, ſacrificium, Dei voluntati ſit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus illud offeram, propitiabile: Offerte pro me veſtras orationes, gratias & virtutes, meque ſacrificantem comitari non dedignemini.

Oratio Alberti Caſtellani ad Sanctum cujus eo die feſtum celebratur.

O Sancte N. ecce ego miſer peccator, de tuis meritis confiſus, offero nunc ſacratiſſimum Sacramentum corporis & ſanguinis D. N. J. Chriſti, pro tuo honore & gloria, & precor te humiliter ac devote, ut pro me hodie intercedere digneris, ut tantum ſacrificium digne & acceptabiliter offerre valeam Deo & eum tecum & cum omnibus electis ejus æternaliter laudare & cum eo regnare valeam. Amen.

Ap-

Approximatio Sacerdotis ad offerendum Sacrificium.

Sanctifica Altiſſime &c. *ut ſupra pag.* 50.

ACCESSUS DIE JOVIS, ET IN FESTIS DOMINI.

Per te acceſſum habeamus ad Filium tuum, o benedicta inventrix gratiæ, & genitrix vitæ, ſancta Maria, Virgo puriſſima & Mater ſanctiſſima.

Numquid non eſt voluntas ejus, ut omnia ab ipſo per te habeamus! Per gratiam, quam inveniſti, per miſericordiam, quam peperiſti, per Privilegia, quæ meruiſti, impetra, ut gratiæ & amoris ſui me faciat participem ac conſortem, qui per te fragilitatis noſtræ factus eſt particeps, Jeſus Chriſtus, Filius tuus.

O Maria! per tui nominis dulcedinem, & per illum amorem, quo amas Jeſum, & ſanctiſſimum nomen ejus: rogo, ut me facias Jeſum, Filium tuum in ſuo amoris Sacramento caritate amplecti, & guſtu ſuaviſſimi nominis ſui omniumque vitæ ſuæ myſteriorum fructibus æternum perfrui.

Intentio & Oblatio.

Omnipotens ſempiterne, & amantiſſime Deus! quia me famulum tuum, licet tanta gratia indignum, pro omnibus vivis atque defunctis legatione fungi apud te voluiſti: offero tibi cum ipſorum beatorum ſpirituum laudibus, nec non cum precibus ac meritis omnium Sanctorum, erga venerabile Sacramentum, & glorioſiſſimum nomen Jeſu cumprimis devotiſſimorum, per manus ſuaviſſimæ Genitricis ejusdem D. N. J. Chriſti, oblationem iſtam mundam ſacroſanctí ſacrificii mei ſuper altare tuum.

Offero autem imprimis ex puriſſimo tui o Deus amore & deſiderio cordis flagrantiſſimo, tuum majus & majus beneplacitum ſemper in omnibus ac pro omnibus nec non ex omnibus modo prorſus ſublimi perficiendi, cunctaque myſteriorum Filii tui admirabilia, cumprimis myſterium N. hodierni diei exaltandi ac devenerandi.

Offero ad redamandam finalem illam dilectionem, qua eumdem Filium tuum, Dominum noſtrum, nobis in memoriale, in teſtamentum, in Sacramentum, in Sacrificium, in ſocium, in cibum, & ultimum

adeun-

adeundæ æternitatis viaticum, atque in pignus ſubſtantiale futuræ gloriæ dediſti.

Offero in adorationem ſanctiſſimi nominis Jeſu, & in gratulationem ſibi ejusdem Nominis ſui, quod eſt glorioſum & ſuperexaltatum in ſæcula, ut in hoc nomine omne genu flectatur, & omnis ſpiritus malignus depellatur.

Offero memoria memor, quid idem Unigenitus tuus, in illa impetuoſa & crudeliſſima ſacrarum ipſius veſtium deſpoliatione coram ingenti hominum petulantiſſimorum turba ignominioſe perpeſſus fuerit.

Offero gratitudinis ergo propter inſtitutionem venerabilis Sacramenti, & virutem glorioſiſſimi nominis Jeſu, nec non propter omnes gratias abs omnibus myſteriis Domini noſtri, & invocationem ſanctiſſimi nominis Jeſu cum in me, tum in alios derivatas.

Offero in deprecationem & expiationem omnis iræ ac impatientiæ a me commiſſæ, omnis contumeliæ & contemtus erga auguſtiſſimum Sacramentum abs Hæreticis & malis Chriſtianis perpetrati, nec non omnis frigoris & torporis noſtri in amore & exaltatione ejusdem ſanctiſſimi Sacramenti & adorandi nominis Jeſu.

Offero ad ſupplicandum pro augmento ſemper majori & majori cultus euchariſtici & fiduciæ erga ſalutiferum nomen Jeſu, ut ejus dulcedine nos omnes paſcamur, atque in ejusdem amore morte juſtorum defungamur; nec non ad precandum a te donum conſilii & virtutem miſericordiæ ac manſuetudinis atque ut ambulem in omnibus, ſicut & ipſe ambulavit, ex amore tui, propter amorem tui, & in amore tui, toto me, digne te.

Porro ad omnes quoque illas intentionum ſublimitates, quas primo mane feci, & impræſentiarum toto mentis adfectu innovo, perque ſacratiſſima corda Jeſu & Mariæ æternum approbo.

Oremus:

Clementiſſime Domine! ſuſcipe hodie per manus ſervi tui hoc venerabile ſacrificium unigeniti Filii tui ad laudem & gloriam tuam, ejusdemque ſanctiſſimi nominis exaltationem atque glorificationem majorem ac majorem.

Soliloquium cum Chriſto.

O paterna viſcera! o menſa miſericordiæ

diæ plena! Panis Angelorum fit panis hominum. O res mirabilis! manducat Dominum pauper ſervus & humilis.

O gaudium ſuper omne gaudium mundi! gaudere cum Deo, epulari cum Chriſto, manducare Deum & Sacramentis ſaginari.

Quum poſt doloroſam crucis bajulationem ventum eſt ad Calvariæ montem, juxta Davidis prophetiam, dederunt tibi, o mi Jeſu! qui te ipſum vocas panem vivum, in eſcam fel, & poſtea cruci affixum in ſiti potaverunt te aceto. Nunc autem tu das nobis carnem tuam in cibum, & ſanguinem in potum cum ſumma dulcedine, quam nobis tua amaritudine comparaſti.

O bone Jeſu! o Chriſte dulcis amor meus! o Dilecte virium mearum, viſcerum & præcordiorum meorum! Utinam diligam te ſicut diligor a te, ut ſis dilectus meus, ſicut ego ſum dilectus tuus.

Utinam fruar te in medio cordis mei! o Chriſte nutritor & cibus meus! ecce tu quaſi nutritius Ephraim declinas ad me peccatorem, deſerens regna cœlorum, ut mecum veſcaris, aſſumta forma hominis, mihique des eſum corporis tui, ipſe cibus & conviva.

O cibus, o conviva! quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviſcar omnia mea mala, & amplectar te ſolum bonum meum.

O fons ſemper plenus & ſuperabundans! Ignis jugiter ardens, & numquam deficiens! quis mihi dabit, ut ſi mihi non licet haurire de plenitudine fontis; apponam tamen os meum ad foramen cœleſtis fiſtulæ, ut ſaltem modicam inde guttulam capiam ad refocillandam ſitim meam & non penitus exareſcam.

Etſi necdum totus cœleſtis, & tam ignitus, ut Cherubim & Seraphim eſſe poſſum: conabor tamen devotioni inſiſtere, & cor meum præparare, ut vel modicam divini incendii flammam ex humili ſumtione vivifici Sacramenti conquiram.

Quidquid autem mihi deeſt, Jeſu bone, Salvator ſanctiſſime, tu pro me ſupple benigne ac gratioſe, qui omnes ad te dignatus es vocare, dicens: venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

Ego quidem laboro in ſudore vultus mei, dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis paſſi-

onibus

onibus implicor & premor, & non eſt, qui adjuvet, non eſt, qui liberet & ſalvum faciat, niſi tu, Domine Deus Salvator meus, cui committo me, & omnia mea, ut me cuſtodias, & perducas in vitam æternam.

Suſcipe me in laudem & gloriam nominis tui, qui corpus tuum & ſanguinem in cibum & potum mihi paraſti.

Præſta, Domine Deus, Salutaris meus, ut cum frequentatione myſterii tui creſcat meæ devotionis affectus.

Virtutum actus præcipui.

Credo in te, Fili Dei, & credo propter loquelam tuam, te in vero miſſæ ſacrificio poſt tranſubſtantiationem vere ac ſubſtantialiter cum corpore & ſanguine, cum anima & divinitate tua, præſentiſſimum eſſe. Credo, quod non video, ſed aliquando in lumine gloriæ viſurus ſum.

Spero a te, & per te, per vulnera tua, quæ ſunt merita mea, & per pretioſum ſanguinem tuum, ſub impoſitione SS. Nominis tui profuſum, me remiſſionem omnium peccatorum meorum, quorum multitudine non poſſum terreri in toto, ſi mortem tuam, o

Domine conſidero — ; nec non omnia bona animæ & corporis obtenturum, quia in caritate nimia adoptaſti me in filium; quia verax es in promiſſione, potens in exhibitione; & quia licet tibi facere, quod vis. Sperabo in te.

O Deus, amore infinito digniſſime! amo quoque te, & volo te amare ſuper omnia, totis viribus animæ meæ, corporisque mei in æternum; deſidero animitus, ut omnes omnino homines te ſuper omnia ament, & in ſuaviſſimo amoris tui actu exſpirent.

Amo te, o amor amabiliſſime toto corde & mentis affectu; atque ex hoc ipſo tui amore dolet ac pœnitet me, quod tempus fuerit, ubi non amavi, ſed inhonoravi ac injurius provocavi te. Doleo ſuper omnia, & in vicem imperfecti doloris offero tibi omnium creaturarum amoroſiſſimam contritionem.

Corde tuo, o Jeſu, in horto Gethſemani propter totius mundi delicta dolore infinito conſciſſo, intuitu eminentiſſimæ dignitatis tuæ, deteſtor & averſor omnia & ſingula mea peccata, odio perfectiſſimo, habens diſplicentiam omnium eorum.

Efficaciſſimis quoque, ac poſſum, ſuſpi-

riis

riis ingemiſco & doleo, quod adhuc ita carnalis ſim, & tam immortificatus paſſionibus: tam plenus concupiſcentiarum motibus: tam incuſtoditus in ſenſibus exterioribus: tam ſæpe multis vanis phantaſiis implicatus: . . tam inconſideratus in loquendo: tam incontinens in tacendo: tam effuſus ſuper cibum, & ad exteriora: tam raro plene mihi collectus &c. &c. Domine! tu omnia noſti.

Adfectu filii, & conatu tibi amantiſſimo Patri meo placendi, mente hæc omnia errata revoco, & amara cordis contritione momenta illa vitæ meæ negligentius peractæ toto me inſtauro, firmum ſtatuens propoſitum, te adjuvante majori ſemper fervore ſerviendi tibi & in melius proficiendi.

Cum plena reſignatione & integra voluntate offero me ipſum, in honorem nominis tui, in ara cordis mei in holocauſtum perpetuum, corpus meum ſcilicet & animam tibi fideliter committens, quatenus & ſic digne merear ad oblationem tui ſanctiſſimi corporis accedere, illudque ſalubriter ſuſcipere.

Qui miſereris omnium & patiens ac præſtabilis es ſuper malitia hominum: accipe

de

de manibus meis indignis in oblationem ſuaviſſimi odoris tui corpus & ſanguinem tuum.

O Jeſu ſis mihi Jeſus, & complaceat tibi me facere unum de illis, qui ſalvantur per te, & lætantur in te.

Aperi mihi theſaurum tuum, theſaurum abſconditum, theſaurum deſiderabilem & non deficientem. Refice in potentia virtutis tuæ eſurientem & confortetur mens mea in fortitudine cibi illius.

Ah! utinam ſaltem ad momentum haberem puritatem plusquam angelicam, caritatem plusquam ſeraphicam ac cherubicam, humilitatem plusquam omnium Sanctorum, omnesque illas ſupercœleſtes virtutes ac gratias, quas beatiſſima Trinitas in tuum, o mi Jeſu, ſacratiſſimum cor abundantiſſime contulit, ut iisdem abyſſalis illa vilitas & indignitas mea contegatur, tibique in anima mea digniſſimum placidiſſimumque habitaculum præparetur.

„ O bone, o pie Jeſu! quoties jam ſpi-
„ ro ac ſuſpiro, ad te aſpiro, & poſt te
„ clamo, omniaque illa ſentimenta devo-
„ tionis cum toto cordis mei affectu tibi of-
„ fero, deſiderio deſiderans, ut non tardes

„ ve-

„ venire ad me & veniendo intingere ſen-
„ ſus meos in medullam caritatis tuæ æter-
„ næ. * *Repetatur.*

Ad S. Joſephum.

ORATIO.

Indulgentialis, ut ſupra pag. 49.

Ad SS. Seraphinos.

O ignes urentes; & flammæ vocaces, Seraphici amatores Jeſu! ſtillate, vel potius manate & exundate ſuper me atque torrente igniti amoris veſtri involvite me, ut ego tranſeam in amorem Jeſu, & devolvar in mare amoris, in oceanum caritatis & in abyſſum dulcedinis boni Jeſu, multumque amabilis nominis Jeſu.

Approximatio Sacerdotis ad offerendum Sacrificium.

Sanctifica Altiſſime, *ut ſupra pag.* 50.

ACCESSUS DIE VENERIS, VEL TEMPORE TRIBULATIONIS.

Per te acceſſum habeamus ad Filium tuum, o benedicta inventrix gratiæ & geni-

genitrix vitæ, ſancta Maria, virgo puriſſima & Mater ſanctiſſima.

Ego clientulus tuus obteſtor maternum pectus tuum per eum amorem, quo Jeſum tuum diligis, ut ad purificationem animæ meæ cœleſti Patri tuo offeras acerbiſſimam paſſionem tui Jeſu & me in ſanguine ejusdem Filii tui. O ut mihi miſero peccatori offerenti clementer aſſiſtere dignareris, quemadmodum dulciſſimo Filio eidem in cruce pendenti, & ſeſe ſacrificanti adſtitiſti.

Intentio & Oblatio.

Clementiſſime Pater! Chriſti Filii tui pretioſiſſimo ſanguine & meritis onuſtus proſterno preces meas, & quo affectu idem Unigenitus tuus in loco ſupplici ſui nudatus in cruce decubuit immolandus tibi Patri æterno in gloriam, pro nobis autem in ſalutem, hoc eodem affectu eumdem ego ſub hiſce panis & vini ſpeciebus depono immolandum, ad multivarias intentionum ſublimitates; cumprimis

Ut adfectu ſanctiſſimi cordis ſui in cruce transfixi, quodque venerari intendo comorque, digniſſime adorem, amem, & benedicam illam nimiam charitatem, qua non

pe-

pepercisti Filio tuo, sed pro omnibus tradidisti illum:

Ut faciam, quod facturus sum in sui commemorationem, recolendo pia & compassiva mente illam suam longe acerbissimam & dolorosissimam in monte Calvariæ crucifixionem, ubi post transfossa & terrabrata membra sacrum fudit cruorem, tota interim lugente natura:

Ut toto me gratias agam pro omnibus istis miserationibus tuis, quibus redemisti nos in sanguine Unigeniti tui, cui laus & honor sit pro omnibus gemitibus, lacrymis & vulneribus suis:

Ut mediante diviniſſimo hoc sacrificio sistam infinitam propitiationem pro iis omnibus, quæ per acediam, tepiditatem, aut animi inconstantiam deliqui cum aliis:

Ut per merita crucis, passionis, mortisque Domini nostri Jesu Christi mihi donum fortitudinis & virtutem constantiæ ac perseverantiæ in bono, omnibus autem afflictis in quacumque necessitate & periculo constitutis consortationem in tribulatione humillime postulem.

Porro ad omnes quoque illas intentionum sublimitates, quas primo mane feci,

&

& impræſentiarum toto mentis adfectu innovo, atque per ſacratiſſima corda Jeſu & Mariæ æternum approbo.

Oremus:

Suſcipe, ſancte Pater omnipotens æterne Deus! hanc oblationem vivam recordationis, quam ad altare tuæ Majeſtatis transmitto, & quam tu in miſeratione multa miſiſti ad altare crucis immolandam pro nobis. Recordare pietatis illius, quæ Filium tuum traxit & vicit, ut in ſtatera crucis totius mundi peccata libraret. Ipſa te precetur, Pater, miſereri nobis miſeris.

Soliloquium cum Chriſto.

O Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, Jeſu Chriſte! qui te obtuliſti Deo Patri hoſtiam puram & immaculatam in ara crucis pro nobis miſeris peccatoribus: o vir dolorum & vir amorum, quoniam per tua vulnera patent tui amoris viſcera, quis mihi dabit, ut hauriam & dolores & amores in gaudio de fontibus ſanctiſſimorum vulnerum tuorum!

O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna

ſterna Calvariæ! Hic ego non peto, ut me audias o verbum! audi clamantem pro me ſanguinem tuum.

Sanguis tuus iſte, o Domine Jeſu Chriſte, quem per hanc oblationem & ſumptionem corporis tui ſugo, dum intra ipſa tua vulnera figere linguam meam cogito; clamet de ara crucis ad tuam miſericordiam, ut introeat gemitus meus in conſpectu tuo, & non deſpicias deprecationem meam.

O dulciſſime atque amantiſſime Domine! quem nunc devote deſidero ſuſcipere; tu ſcis infirmitatem meam, & neceſſitatem, quam patior; in quantis malis & vitiis jaceo; quam ſæpe ſum gravatus, tentatus, turbatus & inquinatus.

Pro remedio ad te venio; pro conſolatione & ſublevamine te deprecor.

Ad omnia ſcientem loquor, cui manifeſta ſunt omnia interiora mea, & qui ſolus potes me perfecte conſolari & adjuvare.

Tu ſcis, quibus bonis indigeo præ omnibus, & quam pauper ſum in virtutibus.

Ecce! ſto ante te pauper & nudus, gratiam poſtulans, & miſericordiam implorans.

Refice eſurientem mendicum tuum; ac-

cende

cende frigiditatem meam igne amoris tui; illumina cœcitatem meam claritate præſentiæ tuæ.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem; omnia gravia & contraria in patientiam; omnia infima & creata in contemtum & oblivionem.

Erige cor meum ad te in cœlum, & ne dimittas me vagari ſuper terram.

Tu ſolus mihi ex hoc jam dulceſcas uſque in ſæculum; quia tu ſolus cibus & potus meus, amor meus & gaudium meum, dulcedo mea & totum bonum meum.

Utinam me totaliter ex tua præſentia accendas, comburas, & in te transmutes; ut unus tecum efficiar ſpiritus, per gratiam internæ unionis & ligneſactionem ardentis amoris.

Ne patiaris me jejunum & aridum a te recedere; ſed operare mecum miſericorditer, ſicut ſæpius operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter.

Quid mirum, ſi totus ex te igneſcerem, & in me ipſo deficerem; quum tu ſis ignis ſemper ardens, & numquam deficiens, amor purificans & intellectum illuminans!

Virtutum actus præcipui.

Coram auguſtiſſimo ſolio tuo, Deus Homo, Jeſu euchariſtice, teſtibus ſanctis Angelis, qui ſunt in circuitu Throni tui ſacramentalis, corde credo & ore confiteor omnia & ſingula, quæ & quia de omni hoſtia vere conſecrata credere me vis, atque per Eccleſiam tuam ſanctam, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, ad credendum proponis.

Credo, quod in venerabili altaris Sacramento Redemtor meus vivat, ſuſceptor meus & liberator meus. Firmiſſimo mentis aſſenſu articulum iſtius fidei complector, paratus in hac & vivere & mori, eoquod tu ipſe, o Chriſte Jeſu, illius es auctor. Teſtis conſenſio omnium populorum.

O Domine mi & totum refugium meum!! amor de cruce pendule! Quoniam in verbum tuum, quod dediſti ſervo tuo ſuperſperavi: pando manus meas ad te, qui manus tuas in cruce expandiſti ad me, & oſtendo tibi fiduciale deſiderium meum, te videndi de facie ad faciem, omniaque bona ad illam beatitudinem conducentia, per tuæ gratiæ auxilium, obtinendi.

O bone Jeſu!! in cruce tua ponens altiſſimum

ſimum refugium meum! auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, ut non pereat in malitia mea, quod operata eſt bonitas tua.

Recordare quod ſim cauſſa tuæ viæ, ne me perdas illa die. Redemiſti crucem paſſus tantus labor non ſit caſſus. Habeo hanc ſpem in te, qui me dilexiſti plusquam te, dum mori voluiſti pro me.

O amor amorum! quam dignus es amari, qui tanta facis amore noſtri! En! intendo omnes vires meas, & amo ac æſtimo te Deum ac Dominum meum, ſuper omnia amabiliſſimum, ex toto adfectu cordis & animæ meæ.

Conteſtor cœlum & terram, quod, ſi erga me bonus non fuiſſes, amore meo tamen dignus ſis, quodque omni te amore meo proſequi vellem, quia in te infinite bonus es. Quia igitur bonus & amabilis es in te ac propter te, amo te, & amo te illo ipſo amore, quo infinite amas te ipſum, & quo cor tuum in ara crucis amore noſtri liquefactum eſt totum.

Vere ſcio, & id ipſum pietati tuæ dolens ac confuſus confiteri debeo ex animo, quia non redamavi amantem me. Doleo,

toto

toto quanto cordis affectu, & ea amaritudine defleo ingratitudinem meam, ac ullus umquam pœnitens deflevit iniquitatem peccati sui.

Committo me misericordiæ tuæ, & resigno me manibus tuis, in cruce pro me expansis, offerens me ipsum voluntarie in oblationem puram & sanctam ad honorem nominis tui in ara cordis mei, sicut te totum obtulisti Patri tuo pro me. Desidero tuus perpetuo permanere.

Suscipe me Domine cum sancta ista oblatione tui pretiosi corporis, quam tibi hodie in præsentia Angelorum invisibiliter assistentium offero, simulque omnia peccata mea, ut combures ea igne caritatis tuæ, nec non omnes necessitates meas, ut medearis illis secundum magnam misericordiam tuam.

Offero quoque, o Amator prædulcissime! & præbeo tibi per manus Mariæ, omni acceptione dignas, integra voluntate totum cor meum, orans, ut abluas illud in virtuosa aqua sanctissimi lateris tui, & decentissime illud exornes in sanguineo balneo dulcissimi cordis tui, illudque aspergas & confortes suavissimo illo vino sacratissimi

Bayerische Staatsbibliothek München

illius cruoris, quod torcular crucis e botro divini pectoris tui expresſit, tibique dein convenientiſſime coaptes in aromatico vapore divini amoris tui.

Præveni, Domine Deus meus! ſervum tuum in his benedictionibus dulcedinis tuæ. Agnoſco & confiteor indignitatem & indevotionem meam, tu autem Domine miſerere mei, & dignare ſupplere omnes defectus meos; quoniam ſalus & virtus mea tu es: Age mecum pro bonitate tua.

In multitudine miſerationum tuarum præſummo te, o Jeſu! invitare ad me. Veni Domine, millies deſiderate! Veni in occurſum meum, & extende ſacratiſſimas manus tuas ad amplexandam animam meam, ſicut easdem perforatas manus inter maximos mortis dolores ad amplexandos omnes peccatores extendiſti.

Veni deſiderium collium æternorum, o Rex gentium, & deſideratus earum, lapisque angularis, qui facis utraque unum: veni & ſalva hominem, quem de limo formaſti.

Cum tali ac tanta devotione, cum tali ac tanto amore, cum tali ac tanta munditia cuyio te, Domine, in manus meas & in cor meum

meum ſuſcipere, qua umquam ſanctiſſimus Sacerdotum te ſuſcipere dignatus eſt. Ita, Domine; magnis ego & ſacerrimis opto inflammari deſideriis, & tibi ex toto corde me ipſum præſentare. * *Repetatur.*

Ad S. Joſephum.

ORATIO.

Indulgentialis, ut ſupra pag. 49.

Ad ſanctas Virgines & omnes Sanctos cruci fideliter adſtantes.

Sanctæ Mulieres, & omnes Sancti Sanctæque Dei cruci Domini noſtri fideliter adſtantes! ſupplico vobis omnibus & ſingulis ſingulanter, ut præſentetis mihi talem, qualem Pater miſericordiarum dedit hominibus, & qualem vult & voluit a nobis ſuſcipi & revereri, ſcilicet virum pauperem, doloroſum, deſpectum, vulneratum, cruentatem, crucifixum, & in cruce mortuum.

Approximatio Sacerdotis ad offerendum Sacrificium.

Sanctifica Altiſſime, *ut ſupra pag. 50.*

ACCESSUS DIE SABBATHI, ET IN FESTIS DEIPARÆ, AUT DUM PRO FELICI MORTE CELEBRATUR.

Per te acceſſum habeamus ad Filium tuum, o benedicta inventrix gratiæ & genitrix vitæ, ſancta Maria, virgo puriſſima, & Mater ſanctiſſima.

Non decet, o Domina mea, Mediatrix mea, Advocata mea, non decet, ut Filium recipiam, antequam Matrem imploraverim.

Hinc ad te converſus vilitatem & indignitatem meam confiteor, & ſic cum bona tua venia ad altare accedam. Sed, o! ut dignus forem, quem ad altare accedentem comitareris, quemadmodum alios devotos famulos comitata es! o ſi invenirem gratiam in oculis tuis, ut in hac hora juvares me orationibus pia auxiliatrix, ornares gratiis, ditares virtutibus, & totum theſaurum devotionis tuæ mihi commodares, ſicque imperfectum meum ſuppleres.

O Virgo & Mater, plena miſericordiæ! fac precibus & meritis tuis, ut hoc opus digne te, digne Filio tuo præſtem, & qua tibi, qua Unigenito tuo corde placeam devotiſſimo.

Ah!

Ah! quis mihi det eodem illo cordis tui ſenſu Jeſum tuum in hoc ſacrificio ſuſcipere, tractare, & in tumulo cordis mei ſepelire, quo tu eumdem Jeſum in præſepe reclinaſti, in domo nazarethana toties manibus virgineis tractaſti, & de cruce depoſitum in ſinu tuo materno excepiſti, unxiſti, ſepeliſti!

O Mater & Virgo! oro tuum pro me Filium, & monſtra illi pro me ſacra, quibus eum lactaſti, ubera.

Intentio & Oblatio.

Deus, qui de virgine naſci, in præſepio reponi, & nobis per omnia ſimilis factus ab eadem virgine in domo nazarethana educari voluiſti: qua ſenſus, affectusque tui teneritudine lacte virgineo, & devotionis ſtillante dulcedine apud Matrem tuam paſtus es; eadem teneritudine & dulcedine affectus mei te, verum animarum lac, in hac die Matri tuæ ſacra, atque in hoc tuo Sacramento ego ſacerdos tuus indignus ſummo: & ſicut guſtum tuum divinum divina tua Mater actibus cordis ſui puriſſimis contentavit: ita & te in hoc Sacramento ſummens conſimilibus tuum divinum gu-

ſtum affectibus oblectare & contentare poſ
ſe deſidero, peto, contendo ad purum gu
ſtum tuum, & quia hæc eſt voluntas tua,
dignitasque voluntatis tuæ :

Ut in hoc, ad quod peragendum accedo,
ſacrificio adorem, exaltem & benedicam
illam Majeſtatis tuæ ſapientiam & bonita-
tem, quæ in virgine hac tantam creavit
Matrem, Matrisque dignitatem, qua major
ſub Deo nequit intelligi.

Ut tota cordis mei proſtratione amplec-
tens & venerans latam in me mortis ſen-
tentiam te latreutice colam, tamquam ſu-
premum rerum omnium in vitam & mortem
ipſarum (nominatim mei viliſſimi homun-
cionis) Principem ac Dominum; atque ut
illum ſanguinem & aquam de lateris tui
apertura profluentem, humillimo proſequar
devotionis obſequio;

Ut cultu hyperduliæ cum omni, & pro
omni creatura venerer & glorificem preti-
oſiſſimam ac benedictam Matrem Mariam,
quæ ad exemplum Filii ſui ac Dei ſui, Do-
mini noſtri, guſtavit mortem, tradens ani
mam ſuam dilectiſſimam in manus tuas:

Ut totum me in laudem & gratiarum ac
tionem, amoremque realem & cordialem

tibi,

tibi, Deo meo, Dominoque offeram, quod hanc & non aliam virginem in genitricem eligere ac præeligere; electam autem & præelectam tot gratiarum & privilegiorum divitiis exornare glorificareque dignatus sis, quodque propter ipsius merita, ut spe-ro, spatium præparandi me ad bonam mortem indulgeas; & mortis metu ac spe me replendo multivarias salutes in me operari volueris, avocandi me a peccatis & amore sæculi, sæculariumque bonorum:

Ut suppleam per cor tuum sanctissimum, quidquid in famulatu ejusdem Dominæ neglexi; & expleam per cor hujus virgineæ Matris, quidquid in tuo servitio hucusque ex parte mea defuit; atque ut pro peccatis impatientiæ & pœnis residuis defunctorum in famulatu Beatissimæ, omni, quo possum, modo satisfaciam:

Ut denique orem & exorem mihi, aliisque singularem in omnibus devotionem, reverentiam ac fiduciam erga pretiosissimam hanc Matrem, donum pietatis, virtutem patientiæ & sanctam mortem, ut pleni dierum, laborum, meritorum, ab omni culpæ & pœnæ obligatione reatuque liberi ac mundi, caritate ornati, absoluta & perfec-

ta & plena reſignatione in te transformati apponamur ad Patres noſtros.

Porro ad omnes quoque illas intentionum ſublimitates, quas primo mane feci, & impræſentiarum toto mentis adfectu innovo, atque per ſacratiſſima corda Jeſu & Mariæ æternum approbo.

OREMUS:

Memento, dulciſſime Domine, tum vivorum quam mortuorum fidelium & ſacrificii hujus valorem omnibus juxta guſtum voluntatis tuæ, & debitum voluntatis meæ diſpenſa; da tibi honorem & gloriam, ſanctis tuis laudem & exaltationem, nobis viventibus gratiam & ſalutem, animabus purgatorii refrigerium & requiem ſempiternam.

Soliloquium cum Chriſto.

O admiranda dilectio caritatis! quod tu, Domine Deus meus, verus Deus & Homo, ſub modica panis & vini ſpecie integer continearis.

Quis mihi ſemper dabit hunc panem, illum panem, qui ſatus in virgine, fermentatus in cruce, confectus in paſſione, coc-

tus

tus in ſepulcri fornace, in eccleſiis autem conditus, & altaribus illatus eſt!

Quis mihi dabit, ita affectum eſſe, ut quaſi in ipſo latere biberem de illo fonte pietatis, qui per lanceam militis emanavit, ardenti cupiditate, manibusque in crucis formam compoſitis, crucifixi corpus ſuſcipiens!

O fons amoris, fons immenſæ dulcedinis, fons vivus, ignis, charitas, Deus meus! da potare te & inebriari de te. Da ire & perire in te! Da amari & inflammari a te.

O Domine, o ut videam, & ad te perveniam, atque in te requieſcam, Jeſu, Fili David! O plusquam bone ac dulcis amor.

Hoc oro, hoc deſidero, ut tibi totus uniar & cor meum ab omnibus creatis rebus abſtraham; magisque per ſacram communionem ac frequentem celebrationem, cœleſtia & æterna ſapere diſcam.

Ah! Domine Deus; quando ero tecum totus unitus & abſorptus, meique totaliter oblitus!

Tu in me, & ego in te, & ſic nos pariter in unum manere concede.

Hoc eſt totum deſiderium meum, ut cor meum tibi ſit unitum.

Virtutum actus præcipui.

Quis ego ſum, Domine, & quis tu, Dominus meus & Deus meus! Tu puriſſimus, impuriſſimus ego; tu mundiſſimus, immundiſſimus ego; tu digniſſimus, indigniſſimus ego. Quomodo te manibus contingam, labiis e cœlo devocem, ore ac corde ſuſcipiam! Munda de immundo conceptum ſemine.

Domine univerſa ſubſtantia mea tamquam nihilum ante te & neſcio, quia ego ſum & pauper & cœcus & nudus & miſerabilis, & homo peccator.

Deus meus! confundor, & erubeſco levare faciem meam ad te, vereorque nimis, ne magna nimis te afficiam contumelia, ſi te in tam ſordidum, Majeſtatique tuæ tam indignum introducam cœnaculum.

Quoniam autem cœcos & claudos & pauperes ac debiles ad cœnam tuam invitaſti, ecce ego unus ex illis, imo pauperrimus & miſerrimus inter omnes illos, ex humili piaque confidentia venio ad te, ut divitias bonitatis tuæ poſſis oſtendere in me.

Et

Et licet ſciam me extreme indigniſſimum immo execrandum & abominandum peccatorem, de ineffabili tamen pietate tua, qua conteſtatus es, te non veniſſe vocare juſtos, ſed peccatores, confiſus, eo modo & intentione ad hanc ſacratiſſimam corporis & ſanguinis oblationem accedam, ut amore amoris & gloriæ tuæ parvi pendam (etiamſi poſſibile eſſet) quod magnam mihi damnationem in ſacrificio accerſerem, ut tantummodo divina pietas tua magis clareſcat per hoc, quod te a tam indigno dignaris tractari.

Fiat, fiat, ſicut vis, o caritas Deus meus! Exſurge, o gloria mea. Veni Domine! tibi dicit cor meum: Veni. Facies mea exquirit te. Ardeo, dulciſſime Jeſu! recipere & habere te, veſci te, & offerre in odorem ſuavitatis.

O Emanuel, Rex & Legifer noſter, exſpectatio gentium, & Salvator earum: veni ad ſalvandum nos, Domine Deus noſter.

Ecce credo, quidquid de hoc ſacratiſſimo Sacrificio dixiſti Tu Dei Filius; nil hoc verbo veritatis verius. Credo me accepturum Dominum vitæ & necis meæ, ac futurum Judicem, qui etiam juſtitias judicabit.

Sed obſecro, Domine, ut agas mecum ſecundum magnam miſericordiam tuam, in qua ſperavi & ſemper ſperabo, ut adjiciam ſuper omnem laudem tuam.

O Chriſte, o amor meus! quomodo non amem te, qui in tantum & prior amaſti me, ut jam mortuus in cruce de ſanctiſſimo vulnere lateris tui ſanguinem & aquam diſtillare volueris pro me!

O Deus cordis mei! ego amo te, & amo te ſolum propter te. Ah! utinam omnibus affectibus omnium & ſingularum creaturarum, toto pectore atque univerſis animæ meæ viribus ferar in te.

O Jeſu teramabilis & ſuper omnia deſiderabilis! quare concupivi in omni vita mea quidquam præter te! cur intermiſi ullo tempore te Jeſu verſari in corde meo, te tota mente completi! Ubi eram, quando non tecum eram! Heu! quo defluxerunt, quando non te ſolum habuerunt deſideria mea!

Ex amore erga te motus, ah! quam doleo, divinæ Majeſtati tuæ, tam me amanti & amabiliſſimæ in ſe, umquam & umquam diſplicuiſſe. Vide, Domine, quoniam tribulor.

Utinam totum mare verſum in ſanguinem ducere poſſem per caput meum, & ſic mundare cor ac plangere dolorem meum.

Accipe cor contritum Deus meus, & redde mihi te ipſum, vere pius & miſericors! Jeſu ſpes & conſolatio mea! Jeſu Fili Mariæ Virginis.

Accipe vota mea, Domine Deus meus, Creator meus, Redemtor meus, & deſideria infinitæ laudationis, ſuſcepturus enim hodie hoc ſacrificium tamquam viaticum, ac ſi ultimum vitæ meæ foret, affecto te cum tali adfectu, reverentia, laude & honore, cum tali gratitudine, dignitate & amore, cum tali fide, ſpe & puritate ſuſcipere, ſicut te ſuſcepit & deſideravit ſanctiſſima Mater tua, ancilla Domini, in illo momento incarnationis tuæ.

Deus meus & omnia, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur! affecto quoque vel illis ipſis deſideriis ardere, quibus flagraſti per totam æternitatem, in quantum Deus ab æterno, & in quantum homo in tempore per tres ſupra triginta annos.

O Domine, cognitor meus! hæc deſideria immenſæ benedictionis licet effectu non

habeam, attamen tibi in affectu & tota simplicitate cordis mei offero *).

Dignare, o mi Jesu, propter amorem dulcissimi cordis tui, dignare, precor, cum illis desideriis pro me offerre perfectionem illam, qua in hora mortis & in die ascensionis tuæ paratus adstitisti Deo Patri ad suscipiendam glorificationem tuam.

Dignare quoque sordidam animam meam per tuam innocentissimam humanitatem reddere puram & ab omni peccato immaculatam, per excellentissimam divinitatem tuam omnigena virtute ditatam & ornatam, per virtutem autem amoris illius, qui summam divinitatem conjunxit cum immacula-

ta

*) NOTANDUM SINGULARITER. *Ex Sacramento Eucharistiæ tantus percipitur fructus, quantum desiderii igniti a Communicaturo aut Sacrificaturo adfertur. Ita Deus docuit S. Catharinam Senensem.* Cap. II. *Dialog. Et ad S. Gertrudem ajebat Christus: „Filia! si non habes devotionem, sal- „tem desidera habere eam, & ego accepta- „bo hoc desiderium pro ipsa devotione". Ad solatium nostrum scriptum est: Desiderium pauperum exaudivit Deus.*

ta tua humanitate, eam omnibus bonis convenientiſſime adaptare velis, ut in hora exitus ſui tibi creatori ſuo absque peccati macula per manus Mariæ repreſentari mereatur.

Ad S. Joſephum.

Oratio.

Indulgentialis ut ſupra pag. 49.

Ad omnes Sanctos.

O vos omnes Sancti & Sanctæ Dei, maxime vero vos dilectiſſimi Patroni mei, per dulciſſimum cor Jeſu mei & Jeſu veſtri ex intimo cordis affectu ſaluto & veneror vos, veſtro nomine adorans & benedicens immenſam bonitatem & dignationem ſemper venerandæ Trinitatis pro omni gratia, quæ ex ipſius ſupereffluentia abyſſali umquam defluxit in ſalutem veſtram. Felices cœli Incolæ! ſupplico, omnibus communiter & ſingulis ſingulariter, ut quoniam meritis & virtutibus inops & pauper ſum ego, quilibet veſtrum, mei miſerrimi peccatoris miſertus ad ſacrificium fulgidæ ſemperque tranquillæ Trinitatis, in ſupplemen-

mentum negligentiarum & indignitatis meæ offerre dignetur, omnem humilitatem, devotionem, amorem, & præparationem, qua in vita huic ſanctiſſimæ menſæ, in die autem aſſumtionis veſtræ perfectiſſime conſummati, conſpectui gloriæ Domini adſtitiſtis, æternis præmiis remunerandi. Amen.

* *Ad quod impetrandum dicatur cum S. Gert. Pſal. Laudate Dominum omnes gentes. Hæc ad Sanctos oratio poterit pro libitu ſæpius, quam hac tantum die Sabbathi repeti.*

Approximatio Sacerdotis ad offerendum Sacrificium.

Sanctifica Altiſſime &c. *ut ſupra pag.* 50.

ACCESSUS IN MISSIS PRO DEFUNCTIS.

Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ! Advocata noſtra ſingularis! illos tuos miſericordiſſimos oculos ad me & ad animas in purgatorio converte, nobisque plenam peccatorum remiſſionem, eorumque pœnæ reatum impetra. Te veneror, te invo-

invoco, ut mihi ſacrificaturo pro animabus Filii tui materne adſiſtere, & pia auxiliatrix eſſe digneris.

Intentio & Oblatio.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere! in unione omnis devotiſſimi adfectus & intentionum ſublimitatis, pro ſolatio animarum fidelium maxime efficacis, piiſſimæ Majeſtati tuæ offerre intendo hoc ſacrificium corporis & ſanguinis D. N. J. Chriſti per manus Matris doloroſæ:

Ad omnimodam eminentiſſimæ dignitatis tuæ adorationem & æſtimationem, quam tibi perfectius animæ purgantes exhibere potuiſſent & debuiſſent, quibus nunc propter earum negligentiam horrendum accidit, incidiſſe in manus Dei ulciſcentis:

Ad devotiſſimam recogitationem omnium dolorum & vulnerum Redemtoris earum, ut Sanguis ipſius deſcendat in purgatorium, ad ingemiſcentium iſtarum animarum refrigerium;

Ad retribuendum pro omnibus, quæ retribuiſti animabus hisce a primo exiſtentiæ ipſarum momento uſque ad finem vitæ:

Ad condigne ſatisfaciendum pro omnibus

pecca-

peccatis, omissionibus bonorum operum & imperfectionibus ac erratis quibuscumque, propter quæ cruciantur in hac flamma:

Ad instantissime supplicandum, ut de sede magnitudinis, & de throno misericordiæ tuæ ad animas in illo ignito ergastulo flebiliter clamantes, pro quibus Filius tuus naturam humanam assumsit, oculos pietatis tuæ convertas miserearisque gemitum & lacrymarum, quas ad te fundunt, per virtutem passionis ejusdem Filii tui, ac propter preces ac merita Matris suæ condonans eis pœnas, peccatis illarum debitas.

Speciatim oro & supplico pro liberatione aut refrigerio animæ istius N. Porrige ei dexteram auxilii cœlestis, & per Angelum tuum duc eam in locum lucis ac quietis.

OREMUS:

Domine sancte Pater omnipotens! suscipe, quam tibi hodie offero, placationis hostiam pro omnibus pie defunctis, qui dormiunt in somno pacis, & fac cum eis misericordiam, qui omnia potes, & omnipotentiam tuam miserando maxime & parcendo manifestas.

Soli-

Soliloquium cum Defunctis.

Avete omnes Christi fideles animæ! Det vobis omnibus requiem ille, qui est vera requies & æterna quies in sinu Patris sui; Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui natus est de immaculata virgine, pro vestra omniumque nostrum salute passus & mortuus, redimens nos & vos in pretioso sanguine suo.

Descendat cruor ille divinus & regius in vestras flammas, restinquat eas, recreetque ac refrigeret omnes, qui iisdem torquentur.

Hunc divinum liquorem, unaque micas cœlestis panis, quæ cadunt de mensa Domini nostri, per manus sancti Archangeli Michaelis Deo meo pro vobis offeram, rogans, ut eumdem cruorem effundat & illas micas panis cœlestis cadere faciat super vos animas purgantes, igneis adstrictas vinculis, & ligatas manibus ac pedibus, hominem non habentes, qui vos educat de carcere isto tormentorum, in quem nocentes missæ fuistis.

O afflictissimæ animæ! commendo vos illi excessivo amori, qui Filium Dei traxit de cœlis, & amarissimæ morti subjecit in ter-

terris, ut illa pietate veſtris pœnis ac tormentis compatiatur, qua in cruce pendens, dolorum abyſſo vallatus, omnibus afflictis eſt compaſſus.

Ille crucifixis manibus ſuis benedicat vos & a pœnis liberet, faciatque reſurgere in die judicii, Angelisque ſuis ſociari. Reſigno vos iisdem manibus in ara crucis pro vobis expanſis & miſericordiæ Domini commendo gemitus veſtros.

Exaudiat Deus orationes veſtras nec vos deſerat in tempore malo, quia miſericordia ſua exaltat judicium. In plenum refrigerium offero vobis per manus Matris dolorosæ omnem filialem affectum, quem idem Dominus noſter, Jeſus Chriſtus, Filius æterni Patris & Filius Mariæ Virginis ad Patrem in divinitate & ad Matrem ſuam habuit in humanitate.

Virtutum actus præcipui.

Rex tremendæ Majeſtatis! coram te proſtratus, & in abyſſum nihili mei projectus adoro te ſummo, tibi ſoli debito, latriæ cultu.

Quod ſic dilexeris mundum, ut ipſum corpus & ſanguinem tuum nobis dederis in

cibum

cibum & potum, gratias ago tibi ex intimis viſceribus animæ meæ.

Credo, dulciſſime amor mi, te in ſanctiſſimo hoc ſacrificio, ſtupentibus Angelis, cum divinitate & humanitate tua eſſe præſentem. Credo infallibilibus verbis tuis, & nolo, ut ratio judicet de eo, quod eſt ſupra rationem, quia divinum eſt myſterium.

Ideoque ſpero in te, & habens fiduciam in toto corde meo, venio ad te, ut bene ſit mihi ex munere tuo. O Domine! o amor, o cor cordis mei! ſi temetipſum in hoc Sacramento donas mihi, quomodo non omnia tecum donabis! In te ſperans non infirmabor.

Amo te quoque, o bone Jeſu! ex tota anima mea. Amo te mi Jeſu! ſuper omnia bona, quia tu ſolus omne bonum es, bonum infinitum & immenſum.

Ignoſce, Clementiſſime! ignoſce & parce peccatis meis, quibus te ſummum bonum toties offendi, & ad iram concitavi. Doleo Domine, & amore amoris tui deſidero dolere poſſe omnium pœnitentium perfectiſſimo atque vehementiſſimo dolore.

Miſerere mei, Deus, miſerere mei, ſecundum

cundum magnam misericordiam tuam naturalem, & secundum misericordiam tuam liberalem. Qui Petrum lacrymantem respexisti, & latronem pœnitentem suscepisti, mihi quoque spem dedisti. Ne despexeris deprecationem meam.

Indignitatem meam cognosco & erubesco ideoque humilio me sub potenti manu tua, quia autem ex me numquam non indignus manebo, ad hanc mensam accedere, etiamsi mille anni studio meæ præparationis relinqueretur, & quia privatione hujus escæ anima mea infirma non tantum non fortior, sed in dies debilior & miserior redderetur, hacque sanctissima oblatione indignior: ecce! hanc ipsam ob caussam, & confisus super amabili verbo, quod dedisti servo tuo, ut venirem ad te, utut oneratus miseriis; accedo, tantum confidentior, quanto pauperior & miserior.

O Redemtor meus! in te confidit anima mea, & non confundar ego.

Veni Salvator & Deus animæ meæ! En cor & animam meam ad te amplexandum & in cordis mei impurissimum penetrale introducendum extendo.

Veni, Domine, & imple omne desiderium

am meum, ut afficiar tibi, & placeam, quantum debeo, quantum possum, quantum tu vis, & quantum tu dignus es.

Vos, o sanctæ animæ purgantes! offerte vestra merita & suspiria Deo pro me, ut digne degustare valeam Sancta Sanctorum. Amen.

Approximatio Sacerdotis ad offerendum Sacrificium.

Sanctifica Altissime &c. *ut supra pag.* 50.

ACCESSUS BREVISSIMUS.

Domine Deus, omnium creator! qui glorificas Majestate tua domum sanctam tuam, suscipe de manibus meis in oblationem suaviſſimi odoris corpus & sanguinem pretiosi agni, & immaculati unigeniti Filii tui Jesu Christi, quem hodie offero tibi omnipotenti Deo.

Adsit virgo & Mater unigeniti Filii tui, Maria, & offerat tibi una mecum in hac hora Jesum, benedictum fructum ventris sui.

Veniat ignis tuus sanctus de cœlo, & descendat super hoc altare. Aperiantur cœli, & Angeli tui ascendant & descendant in hac hora super Filium hominis. Do-

. Domine ſancte Pater! per hoc & omne aliud ſacrificium in toto orbe terrarum hodie peragendum cum omnibus Sanctis & Electis tuis,

I. Adorabo ad templum ſanctum tuum & confitebor nomini tuo, omne, quodcumque faciam, in gloriam & honorem tuum faciens.

II. Memor Domine miſerationum tuarum & multitudinis bonorum, quæ largitus es nobis, gratias agam tibi, & colam te omnipotens æterne Deus in hoſtiis & muneribus, benedicens nomen gloriæ tuæ, quod eſt ſanctum & laudabile & glorioſum in ſæcula.

III. Accedo etiam, Domine, ego indignus ſervus tuus, quem conſtituiſti ſacerdotem ad offerendum munera & hoſtias pro peccatis meis, & dein pro populi, ad altare tuum cum vero corde & plenitudine fidei, ut offeram placabilem hoſtiam divinæ Majeſtati tuæ in hac domo propitiationis, eumdem Filium tuum unigenitum Jeſum Chriſtum.

Propitiare ergo, Domine, populo tuo, qui peccavit, & pone lacrymas noſtras in conſpectu tuo, & ſit tibi acceptabile ſacrificium

ficium cordis noſtri, quod offerimus contritum & humiliatum.

IV. Levabo ad cœlum manus meas & dicam: Reſpice omnipotens Deus de ſanctuario tuo, & de excelſo cœlorum habitaculo. Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri; & ſuper populum tuum benedictio tua.

Credo, Domine, ſed adjuva incredulitatem meam. Credo in toto corde meo.

Spero in te Domine, & innitor ſuper te Deum meum, quia tibi poteſtas & apud te propitiatio eſt.

Diligam te Domine fortitudo mea. Tu ſcis, quia amo te: Utinam amem & ferar in te omnium amantium adfectu erga te; quia, quum dilexiſſes tuos, in finem dilexiſti eos.

Sed numquid redditur pro bono malum. Triſtitiæ idcirco magna mihi, quia tibi ſolii peccavi, & malum coram te feci.

Ignoſce Domine Deus, & ut ſuperabundare facias gratiam, ubi abundavit delictum; deprecabilis eſto ſuper ſervo tuo, & cuſtodi partem, qui ſolus es bonus, ſolus præſtans, ſolus juſtus, omnipotens & æternus; per dilectum Filium tuum Jeſum Chriſtum, cum quo & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio 50. Annorum indulgentia donata a Gregorio XIII, ante quodlibet Sacrum perſolvenda.

Ego volo celebrare Miſſam & conficere corpus & ſanguinem D. N. J. Chriſti juxta ritum S. R. E. ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiæ triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque Eccleſiæ militantis & patientis; pro omnibus, qui ſe commendaverunt orationibus meis, in genere & in ſpecie N. & pro felici ſtatu S. Romanæ Eccleſiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam & conſolationem ſancti Spiritus, perſeverantiam in bonis operibus, cor contritum & humiliatum ac vere devotum, virtutes ſtatui meo ſacerdotali conſentaneas, & felicem vitæ meæ conſummationem, tribuat mihi omnipotens & miſericors Dominus, per eumdem Chriſtum Jeſum Filium ſuum. Amen.

RECESSUS AB ALTARI.

* *Accepto reſponſo a miniſtro altaris Deo gratias ſubjungat ſtatim:* „ O mi-

„ lies

„ lies utinam! repleas me gratia & verita-
„ te tua. Corpus tuum purissimum, sanguis
„ tuus pretiosissimus, anima sanctissima &
„ Divinitas in tribus subsistens personis me
„ totum penetret, absorbeat, & in se con-
„ vertat!

Sit, o Jesu! sacrosanctum corpus & sanguis tuus suavitas & dulcedo animæ meæ, salus & sanctificatio in omni tentatione, pax & gaudium in omni tribulatione, lumen & virtus in omni verbo & opere, solatium & tutela finalis in morte. Amen.

Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Trium puerorum cantemus hymnum (o anima mea) quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini, qui me associatis & Jesum comitantes per viam obsequimini, *Domino*, *benedicite cæli*, mea videlicet præcordia, quæ cœlum Dei sunt, *Domino*.

Benedicite aquæ omnes, vel quæ guttatim

immixtæ fuere vino conſecrando, vel quæ e latere Chriſti emanarunt, *quæ ſuper cœlos ſunt*, hoc eſt, appretiandæ ſuper illos, *Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino*, nempe attribuata in divinitate Jeſu, & virtutes omnes in humanitate, ſive phyſicæ ſive morales.

Benedicite ſol, Jeſus, *& luna* Maria *Domino: benedicite ſtellæ cœli* Sancti *Domino.*

Benedicite omnis imber & ros ſanguinis Domini, quo rigavit mea labra & perfudit viſcera mea, *Domino: benedicite omnes Spiritus Dei Domino*, quas nimirum reſpirationes ducit in meo pectore Jeſus mecum.

Benedicite ignis & æſtus Spiritus ſancti *Domino*, qui ardores æternos & incendia in meo pectore exercet: & jam verificatur: & erit Iſrael in igne & Sanctus ejus in flamma; at ego totus igne circumdatus ſum, & tamen non ardeo; *benedicite frigus & æſtus Domino.*

Benedicite rores gratiæ, qui cum Jeſu deſcendiſtis in me, *& pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.* O ignis, qui ſemper ardes! accende cor meum frigidum. Accende.

Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino. Bene-

Benedicite lux, quæ orta eſt in me, & *tenebræ Domino*: *benedicite fulgura* divinæ Majeſtatis & *nubes* præ fulgore in conſpectu ejus tranſeuntes *Domino*.

Benedicat terra cordis mei *Dominum*, quem recepit: *laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.*

Benedicite montes & colles Domino, cantantes coram omnibus laudem: *benedicite univerſa germinantia* in terra ejus, frumentum Electorum, & vinum germinans virgines, *Domino.*

Benedicite fontes aquæ ſalientis in vitam æternam *Domino*: *benedicite maria* gratiarum & *flumina* plaudite manibus *Domino*; ſingulæ eorum guttulæ elevent vocem ſuæ gratiarum actionis.

Benedicite cete & omnia, quæ moventur in aquis Domino; quantum tibi in voce laudis immolem, o plus, quam bone ac dulcis Jeſu! quia me non ſicut Jonam in ventre piſcis circumdant aquæ tribulationis uſque ad animæ effuſionem; ſed abyſſus miſericordiæ tuæ vallavit me: *benedicite omnes volucres cæli Domino.*

Benidicite omnes beſtiæ & pecora Domino; ut jumentum factus ſum, & Jeſus ſemper me-

mecum, o dignatio, o miseratio! *benedicite* obsecro *filii hominum Domino* tam amanti, tam amabili & laudabili.

Benedicat Israel, anima mea, gratiis singularibus repleta, *Dominum*; vere non fecit taliter omni nationi; heu! quot fame & desolatione pereunt! *laudet & superexaltet eum in sæcula.*

Benedicite Sacerdotes Domini Domino; videte, quanta fecit Deus animæ meæ: *benedicite servi Domini Domino.*

Benedicite spiritus & animæ justorum Domino, quæ in manu Dei estis, & olim de eadem mensa mecum participastis: *benedicite Sancti & humiles corde Domino*, non horrenti peccatoris cor.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino, omnes animæ meæ potentiæ, & omnes corporis mei vires, *laudate & superexaltate eum in sæcula.*

Benedicamus, o mea omnia, *Patrem & Filium cum sancto Spiritu: laudemus & superexaltemus eum in sæcula.*

Benedictus es Domine, o Amor eucharistice, a temetipso *in firmamento cœli*: & *laudabilis & glorioſus superexaltatus* per temetipsum *in sæcula.*

Psalm.

Pſalm. 150.

Laudate Dominum in Sanctis ejus; propter beneficentiam & miſericordiam, quam fecit mecum: *laudate eum in firmamento virtutis ejus* in palatio, quod erexit in corde meo.

Laudate eum in virtutibus ejus propter amorem ſuum, cujus divitias in me effudit: *laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus* pro exigentia illius, non quod ſperem, laudes veſtras magnitudinem & bonitatem Dei euchariſtici exæquare poſſe, ſed quod ardentiſſime cupiam eum ſuper omnia ab omnibus totis viribus ac modis omnipoſſibilibus laudari.

Laudate eum titulo vocationis ad hoc officium ſacerdotale *in ſono tubæ*, amoris myſteria clangentis: *laudate eum in pſalterio & cythara* cordis redamantis, redamate & benedicite eum, quantum poteſtis, ſemper tamen erit major omni amore & laude.

Laudate eum in tympano & choro Sanctorum, ubi jugiter divinæ laudis ac debitæ gratitudinis reſonat jubilatio: *laudate eum in chordis & organo*; omni modo & totis viribus laborate aſſequi laudando magnitudinem caritatis, quam dedit mihi in

hoc ſacrificio; ipſe tamen vincet omnem laudis concentum.

Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis, omni laudi in cœlo & in terra mea conſonent præcordia, bene pſallentia ei in vociferatione: ah! *omnis ſpiritus laudet Dominum*; in omnibus univerſi univerſalitatis atomis ſemel pro ſemper innovo, multiplico, replico, ratifico, continuoque per cor tuum o Jeſu, omne poſſibile laudis, amoris & gratitudinis canticum, in ſæculorum ſæcula.

Gloria Patri, &c.

Temp. Paſch. Alleluja.

Kyrie eleiſon! Chriſte eleiſon! Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem:

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua:

℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt Sancti in gloria:

℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

℣. Non nobis, Domine, non nobis:

℟. Sed Nomini tuo da gloriam.

℣. Domine exaudi orationem meam:

℟. Et

℣. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS:

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio & operatio a te semper incipiat & per te cæpta finiatur.

Da nobis, quæsumus, Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio, Martyri tuo, tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ACTUS DEVOTISSIMI
post Sacrum die Dominica.

NB. Pausando, meditando & repetendo hunc aut illum adfectum.

Majestas Domini ingressa est in me, & repletus sum splendore gloriæ Dei mei.

Vere hic locus, cor meum, domus Dei est, & porta cœli

Tu Domine Deus universorum, magnus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia solus. Tu voluisti templum habitationis tuæ fieri in me!

Quid est homo, quod sic memor es ejus, aut filius hominis, quoniam reputas & visitas eum!

Clementissime Domine, pie Jesu! quam suavis es & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te!

Quid retribuam pro omnibus! quid dicam aut quid agam! In conspectu Angelorum cum omni humilitate, reverentia, tremore & fidei protestatione adoro, laudo & glorifico te quantum possum & valeo; in defectum egestatis meæ omnes actus latriæ, amoris & laudis tibi offerens, quas ulla creatura intellectualis umquam elicuit, aut deinceps elicitura erit per totam æternitatem.

Utinam cor meum esset mare magnum & spatiosum adfectibus omnis possibilis benedictionis, admirationis & gratiarum actionis, quam tibi cœli & terræ unquam persolverunt, & omnes creaturæ persolvere deberent.

O bonum maximum & omne bonum, aman-

amantiſſime Jeſu! vere memoriam feciſti mirabilium tuorum, miſericors & miſerator Dominus.

Gratias bonitati tuæ, o Deus, o amor meus! gratias pietati tuæ pro omni iſta miſeratione & dignatione tua.

Benedico te, & laudo nomen ſanctum tuum in æternum. Benedictus ſis Deus meus, per temetipſum a temetipſo, & ab omnium choro Sanctorum tuorum.

Benedicant te cœli & terra, mare & omnia, quæ in eis ſunt, laudent & glorificent te in ſæcula.

Et ego quotiescumque reſpiro, benedico te in lætitia, in actione gratiarum & cantis intendens multiplicare meam voluntatem in infinitum in laudibus & gratiarum actionibus.

Sed quoniam non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, ideo, rogo, ut benedicat te pro me glorioſum & admirabile lumen tuum, Deus meus: & laudet te præſtantiſſimæ Majeſtatis tuæ imperiale decus.

O SS. Trinitas benedicas tibi ipſi! Pater! benedic Filio & Spiritui ſancto. Fili! benedic Patri & Spiritui ſancto. Spiritus ſancte! benedic Patri & Filio.

O carorum omnium cariſſime! Tu in me, & ego in te? — Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum! ſentiat, obſecro, ſentiat mens mea dulcedinem præſentiæ tuæ.

O bone Jeſu, dives in omnes, qui invocant te, reple me cœleſti benedictione, & gratiæ tuæ divitias in me abundanter effunde.

Fac per auxilium gratiæ tuæ, ut vivam jam non ego, ſed tu vivas in me, ut movear & agar in omnibus, quæ cogito, quæ loquor & ago, per ſpiritum amabiliſſimi cordis tui.

Operare, operare id in me, propter quod veniſti ad me, qui dixiſti: *qui manducat me, vivet propter me, claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis: ut ſint unum, ſicut & nos ſumus, ego in eis, & tu in me.* Fac, o fac, Jeſu dulciſſime, ut hoc meum vivere propter te totum cedat in gloriam tuam, totum maneat in ſempiternum, totum & attrahat univerſum. — Et nunc quid offeram?

Oblatio ſemper pro ſemper multo efficaciſſima.

Sanctiſſime Domine mi, & Pater mi dilectiſſime! qui dediſti nobis Filium tuum,

ut

ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, atque ex immenſo ejus meritorum theſauro noſtra ſuppleatur inopia: en ego indigniſſima creaturarum tuarum, credo in eum ex toto corde meo & factus particeps corporis & ſanguinis ejus; illum in pectore meo complectens, & in modum juſti Simeonis in ulnas meas ſuſcipiens tibi tali affectu & intentione offero, quali ſemetipſum dedit & obtulit in ara crucis.

Offero tibi cor ejus ſanctiſſimum & gratiſſimum ad laudem nominis tui, & pro omnibus beneficiis tuis in me collatis. Offero vigilias, jejunia, crucem, vulnera & ſanguinem ejus, & quidquid fecit ac pertulit in corpore & anima, quæ nunc devotiſſime recolo in corde meo, cum fide recta & vera pœnitentia in plenam remiſſionem peccatorum meorum. Offero omnem ejus religionem, paupertatem, caſtitatem, obedientiam, manſuetudinem, patientiam & reliquas virtutes, quas ipſe exercuit, in ſupplementum omnium earum virtutum, quæ mihi deſunt; ipſe enim eſt humilitas & manſuetudo mea; ipſe eſt patientia & taciturnitas mea; ipſe eſt puritas & chari-

tas mea; ipſe gratiarum actio & ſatisfactio mea, nec non omnis alia virtus mea, omne bonum meum, & totus theſaurus meus, in quo omnem ſpem & fiduciam meam repoſitam habeo.

O pie, o clementiſſime Pater! aſpice in faciem Chriſti tui; & cum ſit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi bene ſemper complacuit, quem nunc ex dono tuo tamquam rem intime mihi conjunctam in medio cordis mei poſſideo, ſupplex rogo, ut in vulneribus ſuis melliſluis me quoque iis miſericordiæ oculis aſpicias, quibus tibi omnium corda ſubjicis.

O Pater mi, Pater mi! propter Filium tuum mihi intime conjunctum, aſpice in me, & miſerere mei. Complaceat tibi hodie in illo, ut per eum indignationem tuam avertas a me puero tuo; quia illum ipſum tibi iſto & offero, qui peccatum non fecit, ſed tulit peccata mundi.

Petitio ſpecialis pro ſe hac die.

Quid ultra poſtulem! Unam adhuc petitionem parvulam deprecor a te. O Pater! cujus providentia gubernat: da mihi gratiam, ut ab hoc momento omnem mei

curam

curam transfundam in te, & toto corde contentus ſim, quidquid mecum tu agere, quomodocumque me curare aut tractare, tam per ipſum te, quam per quamcumque creaturam tuam placuerit. Laboret dulciſſima providentia tua circa me, quoniam illa ſola dominari vult, debet, poteſt in omni re. Quidquid mihi umquam contigerit, ſine murmure, tacito corde, læto ac reſignato animo, tamquam a tua ſuaviſſima & ſemper adoranda voluntate dulcique providentiæ ubere atque manu profluens & profectum excipiam.

Actus petitionis pro aliis.

Ego Domine, ſequendo conſilium Jeſu, qui dixit: *Rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam*; alio autem loco: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, te oro, te quæſo cum inſtantia, aſpice Deus animæ meæ! oculis miſericordiæ tuæ, regiones innumeras, quæ albæ ſunt ad meſſem, & compatere propter viſcera miſericordiæ tuæ, propter Jeſum Chriſtum Filium tuum, omnibus iis, qui in Sina, Japonia, India & aliis regionibus obvoluti ſunt tenebris infidelitatis ſuæ, & ſedent in umbra mortis. Pater!

Pater! vide regiones, quæ albæ ſunt ad meſſem, & compatere propter nomen ſanctum tuum omnibus Hæreticis, Schiſmaticis, perfidis Judæis & omnibus iis, qui ſeparati ſunt a corpore Eccleſiæ tuæ ſanctæ, ut uniantur cum illo & cognoſcant te Deum vivum, verum, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.

Pater, ſcio, quia me audis, ſi ſupplico in nomine Filii tui. Obſecro in virtute ejusdem ſanctiſſimi nominis Jeſu, obſecro ſancte Pater, dilecte Pater! miſerere afflictæ Eccleſiæ tuæ ſanctæ, quam ferus aper devaſtare contendit. Pone, Deus meus, ſpiritum novum in ſinu ejus, & renova omnes ſtatus, ut quilibet in eccleſia tua ambulet vocatione ſua, qua vocatus eſt, clericus & ſæcularis, major & minor.

Rogo in nomine ejusdem Filii tui, ut des gratiam magnam & efficacem, qua opus habent ad exeundum e peccato, omnibus, qui in eo ſervi diaboli ſunt, & illos cum omnibus aliis, qui ſunt in gratia tua, per viſcera miſericordiæ tuæ conſerves in illa uſque ad diem Jeſu.

Denique propter Sion non tacebo, quæ eſt Eccleſia militans: propter Sion non tacebo,

cebo, quæ eſt mea Mater, ſtatus eccleſiaſti-
cus: & propter gloriam tuam non quieſ-
cam. Habe, obſecro, commendatas omnes
neceſſitates generales & particulares Eccle-
ſiæ catholicæ; compatere & miſerere om-
nibus ejus paſtoribus, membris & capiti-
bus, tam ſpiritualibus quam corporalibus.
Reduc errantes & imple facies eorum igno-
minia, ut quærant nomen tuum.

Compatere & miſerere meis fratribus,
ſororibus, conſanguineis, amicis, inimi-
cis; item meis benefactoribus, & qui ſe
meis precibus commendaverunt, aut com-
mendati eſſe cupiunt, vel pro quibus tu me
orare & manus meas elevare in ſacrificio
voluiſti.

Pro iſtis itaque omnibus & ſingulis peto
in nomine Filii tui, o Pater! ante ſæcula
a te geniti, ut recorderis eorum in multitu-
dine miſericordiæ tuæ, & cuilibet des vir-
tutes & gratias, quas pro me ſoleo petere,
cum ordine, qui tibi placebit, & qui reſul-
tet in majorem gloriam tuam.

Finaliter rogo te, clementiſſime Jeſu!
propter dulcedinem cordis tui, miſerere
animabus in purgatorio detentis. Admo-
neo te cunctarum miſericordiarum, quas

nobis

nobis feciſti, & omnium ærumnarum, quas pro nobis pertuliſti, per easdem obteſtans te, ut pretium & virtutem earumdem pro liberatione aut ſaltem refrigerio animarum defunctorum in purgatorium effundere digneris. Atque ut hoc facias offero tibi Te ipſum cum omni ſanctiſſima vita & dolorosiſſima paſſione ac morte tua: offero quoque pro iis liberandis dolores, quos juxta crucem tuam paſſa eſt B. V. Maria Mater tua, nec non omnia mea opera ſatisfactioria, ſanguine tuo aſperſa, cum applicatione omnium indulgentiarum.

Ad B. V. Mariam & omnes Sanctos.

O Virgo & Mater Dei! Mater amabilis, Mater admirabilis, amabilis in gaudio, admirabilis in honore. Ecce Filius tuus, homo Deus, factus mihi concorporeus, pro quo, ut ardentiſſimas illi gratias agas atque omnes cordis tui amores & oris tui blanditias exhibere velis, ſuppliciter poſtulo, ea propter tibi eumdem humiliter & amanter repræſento, tuis brachiis conſtringendum, tuis labiis diffuaviandum & tuo materno corde deamandum, nec non una mecum, immo pro me & adorandum, & ſanctiſſimæ Trinitati offerendum.

Sed & vobis omnibus & singulis, o Sancti & Sanctæ Dei, præsertim hodiernæ diei, Dominum meum Jesum Christum, in singulare augmentum gaudii, gloriæ & beatitudinis vestræ repræsento & offero cum omni ipsius amore & misericordia erga vos, orans, ut eumdem pro me & adorare & amare & colere, & sanctissimæ Trinitati pro meis & aliorum necessitatibus offerre velitis, eidemque me in vita & in morte commendare, & quod per me impetrare nequeo, vestris precibus ac meritis impetrare non dedigneminı.

Deprecatio & oratio finalis cum maxima utilitate cuivis Sacro annectenda.

Dulcissime hospes animæ meæ Jesu! obsecro, ignosce, quod non cum debita præparatione, puritate, humilitate, ad tantum Mysterium accesserim. Omnem irreverentiam, distractionem, negligentiam & culpam hujus sacrificii oblatione commissam dele ac remitte, supplendo defectus omnes tam positivos quam negativos actibus tuæ profundissimæ reverentiæ intentissimæque chari-

charitatis, quos tu ipſe in diebus carnis tuæ, circa hoc ſacrificium exercuiſti, & quos umquam ex dono tuo ſervi tui huic ſacrificio & Sacramento addictiſſimi exercuerunt, exercent, exercebuntque uſque ad conſummationem ſæculi, includendo & illum actum ultimum ante diem judicii exercendum, quos quidem actus omnes collectim & ſenſim ſingulos in ſua intenſione, latitudine, cæterisque circumſtantiis, tuis theandricis actibus infinite dignis unitos, offero nunc ex totis cordis mei medullis ſanctiſſimæ Trinitati, in ſupplementum eorum omnium, quæ mihi defuerunt, petens ſimul impedimenta fructus, & gratiæ ſacrificalis ſacramentalisque a me removeri.

Introtrahe, mi Jeſu, totam hanc ſacrificii actionem in cor tuum amabile, illamque cordis tui detentione nobilitatam & dignificatam offer cum omnibus actionibus & paſſionibus, ſeu mutationibus totius vitæ ſubſtantiæque meæ (immo & omnium quantum in me eſt creaturarum) in unione actionum, & paſſionum, & meritorum totius vitæ tuæ, offer, inquam, & trade æterno Patri, tibi ipſi, ſanctoque Spiritui, ad guſtum & complacentiam, in realem, verbalem,

balem, cordialem, præteritam, præſentem & futuram, omnimodam, poſſibilem, infinitam, inceſſabilem gratiarum actionem, laudem, adorationem, amorem, venerationem, exaltationem; item in præparationem ad futuras miſſas, & communiones & confeſſiones; item in diſpoſitionem ad gratias omnis ſacrificii, Sacramenti, beneplaciti actuales, habituales, opportunas, efficaces & finales; nec non in ſatisfactionem pro omnibus meis tam culpæ quam pœnæ obligationibus, potiſſimumque in impetrationem fervoris in vita & morte, proque finali in bonitate & ſanctitate perſeverantia.

Concluſio.

Vale, o benedicte Jeſu! & recedenti a te paululum, divinam elargire benedictionem, ut habeam te ſemper in mente, & geram te in omni verbo & opere, totusque occuper in te ac propter te, cum iteratis ejaculationibus ad te:

Die Dom. O bone Jeſu! fac, ut te amem ardenter, ardentius, ardentiſſime.

Fer. II. Dulcis amor Jeſu! fac me ſentire quam immenſo amore nos amaſti & amas.

Fer.

Fer. III. Amoroſiſſime Jeſu! vellem te amare; ſed ſine te non poſſum. Adjuva me.

Fer. IV. Amor meus Jeſus! fac me mori amori tui.

Fer. V. Amor meus Jeſu! da mihi amorem ad te ferventem, humile obſequium, gratiarumque actionem.

Fer. VI. O mi Jeſu, pro me crucifixe! eviſcera te in me, & clavis tui amoris te in me totum confige.

In Sabb. O Jeſu! amor jucundiſſime & glorioſiſſime! quando a te totus inebriabor! quando viſibiliter te contemplabor! quando tibi ſic conjungar, ut te in nullo amplius offendam! Veni Domine, & educ de carcere iſto animam meam, ut confiteatur nomini tuo.

ACTUS DEVOTISSIMI
poſt Sacrum die Lunæ.

O charitas! o pietas! novum & grande myſterium! circumſpice Jeruſalem & vide jucunditatem a Deo tibi venientem.

Clementiſſime & amantiſſime Salvator Chriſte Jeſu! Tune, Deus meus, ad me venire dignatus es! Quid

Quid eſt homo, quod ita memor es ejus; aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Homo peccator ſum & non exis a me! Domine Dominus noſter! quam admirabile eſt nomen tuum.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus.

Benedicant te Deus meus & amor meus omnes Angeli & Sancti tui.

Benedicant & jubilent tibi omnes creaturæ in cœlo & in terra; ſed & ipſa pietatis tuæ viſcera benedicant & laudem dicant tibi.

O mi amantiſſime Jeſu! laudo & benedico te, toto te, toto me, digne te; & quod mihi in tua laude & benedictione deficit, digneris ſupplere pro me, Deoque Patri illas laudes & gratiarum actiones offerre, quas in ultima cœna meo & omnium creaturarum nomine perſolviſti.

O Deus Deus meus! Tu totus, totus meus, & ego non totus totus tuus! Stans a longe velut Publicanus, & non audens levare oculos meos ad te. percutio pectus meum, dicens: Propitius eſto mihi peccatori!

Peccatum meum contra me eſt ſemper.

In abjectiſſima mei nihileitate abjicio me, ad pedes divinæ Majeſtatis tuæ, cum Maria Magdalena eos complector, lacrymis rigo ac deoſculor.

Domine miſerere, miſerere, miſerere ſuper peccatore. Pœnitet me peccaſſe. Plorabo in amaritudine animæ meæ, quia malum & amarum eſt, dereliquiſſe me Dominum Deum meum. Cuſtodiam deinceps legem tuam & ambulabo ſollicitus coram te. O Deus Iſrael! conforta me in hoc ſancto propoſito. Conforta, qui das velle & perficere.

Hæc ſit mihi conſolatio, te Deum meum diligere, & hæc ſit mihi intima afflictio aliquid præter te non propter te amare aut meditari.

Fiat! fiat! Amem te amor meus, ut tu ſolus me totum poſſideas, me totum in te abſorbeas, atque transformes; da, ut omnis creatura mihi vileſcat, & nihil ſub ſole mihi placeat, niſi tu, mi dulcis ac bone Jeſu, ex millibus electus & præ omnibus dilectus! Et nunc quid offeram?

Oblatio ſemper pro ſemper multo efficaciſſima.

Sanctiſſime Domine mi &c. *ut ſupra*

pag. 132.

Peti-

Petitio ſpecialis pro ſe hac die.

O paterne Spiritus! o verbi Spiritus! o amor Spiritus! vellem ego aliquid petere a te, ſed tu benigniſſime Deus! ſuggere mihi, quid debeam petere a te, adjuva me in petendo, & poſtula pro me petente gemitibus inenarralibus.

Hæc ergo, ſi tibi placet, hæc ergo abs amore tuo ſuppliciſſime peto: hæc ſunt vota mea ad te, o Pater votorum meorum! hæc ſunt ſuſpiria mea, quibus clamo poſt te & voce omnium infirmitatum mearum, tota anima mea, toto corde meo, totis viribus meis, tota fortitudine conatus mei.

Effunde in me ſanctiſſime Spiritus donum *timoris* Dei cum fructu *modeſtiæ* & *continentiæ*, quo declinem ab omni quocumque malo, necque defluam in concupiſcentiam delectabilium tam carnis, quam mentis meæ, aut vanitatum. Ut filius Dei metuam a Patre non pœnam peccati, ſed peccatum ipſum in Patrem abhorream.

Effunde quoque in me, o diviniſſime Spiritus! donum pietatis, quo ipſi tibi Deo meo, & cuivis propter te Deum meum ſubjiciam animam meam Superiori meo, cum illo bonitatis & benignitatis tuæ fructu,

nihil ut in meo ſit animo non bonum, nihil in moribus non benignum.

Effunde præterea in me, o efficaciſſime Spiritus, donum *fortitudinis* cum fructu *patientiæ*, quo pericula & ipſas perpeſſiones corporis atque animæ propter te & contemnam & vincam & perferam, omne gaudium exiſtimans, ſi in varias tentationes incidero.

Effunde etiam in me, o rectiſſime Spiritus! *conſilii* tui donum, & ſimul cum eo *longanimitatis* fructum. Da ſpiritum & gratiam diſcernendi inter motus gratiæ & naturæ. Rege cor meum, & doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Imbue me conſiliatrice prudentia, ut ſemper quoties opus eſt, tam mihi quam proximo meo, incidat mihi prompte, opportune conſilium bonum, circumſpectum & voluntati tuæ conſonum: ut ſim conſilii angelus.

Effunde adhuc in me, o puriſſime Spiritus! donum *ſcientiæ*, *manſuetudinis* fructum, ut gratia operandi polleam, & artes actionum ſciam; ut in eis nec effundar, nec confundar, nec offendar. Sciam ſcientiam illam Sanctorum & impendi agendis, & ſupereminere actionibus, & dominari rebus,

rebus, & tibi ſummo bono ſemper inhærere, quod magnum eſt donum. Creſcat in me, ſed non inflet ſcientia rerum, quæ tuum amorem inſpiret, ſine quo me nihil juvat *coram te*, qui me judicaturus es ex *facto*.

Effunde ſuper in me, o verax Spiritus, donum *intellectus* & fidei *fructum*, ut ubique te præſentem & perfectiones tuas in creaturis relucentes cognoſcam & videam. Igne tui fervoris illuſtra cordis intima, ut omnia ſalutis myſteria rite intelligam, firmiſſime credam, & ex operibus amore tuo ſuccenſis fidem meam oſtendam.

Effunde denique in me, o Spiritus ſuaviſſime! donum *ſapientiæ*, & cum eo fructum *caritatis*, *gaudii* & *pacis*. Da ut anima mea delectetur in Deo bono & vero, ut nihil illi ſapiat extraneum Deo, in nihil gaudeat niſi in Deo, ſalutari ſuo. Flamma tui amoris conſummat cor totum, & omnem amorem peregrinum procul repellat, ut feliciſſime ſoporatus a te, non amplius vivam & ſpirem niſi in te ac propter te.

Actus petitionis pro aliis.

Domine, qui per apoſtolum tuum loquu-

tus es : *orate pro invicem* ! Oro per viſcera miſericordiæ tuæ , præſta Domine , Rex æterne ! virginibus caſtitatem , Deo dicatis continentiam , conjugatis ſanctimoniam , pœnitentibus Indulgentiam , viduis & orphanis ſuſtentationem , pauperibus protectionem , peregrinantibus reditum , lugentibus conſolationem , navigantibus in portum venire ſalutis , optimis , ut in bonitate ſemper conſiſtant , bonis & mediocribus , ut meliores fiant , prave agentibus & delinquentibus , ut cito ſe corrigant , defunctis autem fidelibus , ut lucem & requiem ſempiternam te miſerante obtineant , per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad B. V. Mariam & omnes Sanctos.

O Virgo & Mater Dei &c. &c. *ut ſupra pag.* 138.

ACTUS DEVOTISSIMI
poſt Sacrum die Martis.

Cœlum ſedes tua , & terra ſcabellum pedum tuorum , & quis locus iſte quietis tuæ !

O bone Jesu! Baptista contremuit, non ausus tangere sanctum Dei verticem, & nunc quid mihi & tibi Fili Altissimi!

Sicne oportet te implere omnem justitiam, te humiliando, & formam servi accipiendo?

O mira dignatio, quod Dominus immensæ Majestatis delectetur cum filiis hominis, & manducet cum peccatoribus! Adoro & benedico te, toto virium mearum conamine.

O Jesu, quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum, similem mei! Quis loquetur potentias Domini! o mea omnia! confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus, replens in bonis desiderium nostrum.

Jubilate Deo meo visitanti me ex alto. omnis terra! Exulta & lauda habitatio Sion quia magnus in medio tui sanctus Israel.

O Pars mea Deus. O Deus cordis mei! jubilent & laudem tibi concinant, & mecum gratias agant omnes chori Angelorum, & universæ turmæ Sanctorum, nec non universa mirabilia opera tua, quæcumque cœli & terra complectitur circumferentia.

Ego autem gratias ago tibi Deo meo, quas poſſum intimas, maximas & infinitas, cum laude illa perpetua, quæ a te, o verbum Patris, exiens in te refluit omnium rerum principium & finem.

Dulciſſime hoſpes animæ meæ! tu noſti, quid velim! Ne deſpicias hanc meam gratiarum actionem, quam tibi offero de miſericordia tua, quam feciſti mecum; & ſacrificium laudis honorificabit te.

Ceterum deſunt mihi verba, quibus explicem majorem adhuc & majorem affectum meum tum gratiarum actionis, tum adorationis, & ſalutationis, meique humiliationis coram te, & coram Angelis tuis; ſed projicio me in fornacem ardentiſſimam tui amoris, quo ſuccenſus ad me venire dignatus es.

O Jeſu amore ſuccenſe! jam age, Domine, age, & me quoque ſuccende, viſcera combure & cor meum totum quantum in te abſorbe, ut jugiter tibi ardeam, & ardendo atque amando in te vivam ac moriar. O ardere & amare! O in te vivere & mori! Ita omnino, o Domine Deus, dulciſſime Amator meus, in te vivam, amore tui ardeam, & in te moriar.

Tu qui plus corda, quam linguas auſcultas, tu, qui radices deſideriorum exaudis; ſcis quid velim, qui omnia ſcis. Noſti quid petam, qui das, ut petam.

Peto, quod jubes tu, da tu, quod peto ego. Peto, ut amem inceſſabiliter, immutabiliter, inſatiabiliter. Peto, ut perdito me omnibusque creaturis mihi nihil videam, nihil quæram, nihil amem, nihil habeam, nihil guſtem de me, aut creaturis omnibus, ſed unum ſolum habeam & guſtem te, ut tu ſis mihi omnia in omnibus, & omnia ſint mihi in te. Et nunc quid offeram?

Oblatio ſemper pro ſemper multo efficaciſſima.

Sanctiſſime Domine mi &c. *ut ſupra pag.* 132.

Petitio ſpecialis pro ſe hac die.

Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, & de lapidibus filios Abrahæ ſuſcitas! ſuſcita tibi in me ſacerdotem ſecundum cor tuum, qui faciat omnes voluntates tuas, & adimpleat omnes ſtatus ſui obligationes: inde cum Catharina Senenſi humiliter rogo: Solve cor meum a ſe ipſo; exue illud a me

ipſo, & liga illud in te indiſſolubili amoris nexu, qui magnus es & laudabilis nimis. Porro

Da Domine, ut reddam tibi vota mea, quæ vovi in conſpectu omnis populi. Sim tecum obediens uſque ad mortem, quia tu, o mi Jeſu! exemplum dediſti mihi. Da, ut de mundo & concupiſcentia ejus ſentiam, quod tu Deus - Homo in ſplendoribus Sanctorum genitus & in præſepio reclinatus ſentire amore noſtri voluiſti. Qui non habet ſpiritum tuum, non eſt tui. Da quoque, quod tota contentione pectoris mei per ſanctiſſimum corpus & ſanguinem tuum peto, da donum puritatis angelicæ, mentis & corporis. Scio, quia non potero continens eſſe, niſi tu Deus dederis, o Domine Pater & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu & deſiderio maligno; a ſcintilla enim una augetur ignis. Per omne id, quidquid eſt gratiarum in medullis ac viſceribus miſericordiæ tuæ, te oro, te quæſo, animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me. Ah! ne tradas me, qui in manus inimicorum temetipſum tradidiſti pro me.

Tandem ſupplico a te, da mihi dilectiſſime Jeſu! ut ſim rete & hamus animarum. Dirige ad me animas auxilii ſpiritualis indigas.

digas. Da verbis meis lucem, pondus & flammam. Da cordi meo zelum vere apoſtolicum. Da converſationis, affabilitatisque congruæ donum ad omnem conditionem hominum. Da, ut ad ædificationem aliorum habeam ſemper ſedatos affectus, pacatum animum, amabilem aſpectum, famam neceſſariam, & mentem te ſolo contentam, ſimque lucerna ardens & lucens. Diffuſa ſit gratia in labiis meis & in omni actione mea, ut omnibus omnia factus, cum timore & tremore aliorum operer ſalutem, ne dum aliis prædico, ipſe reprobus efficiar, aut aliquod detrimentum animæ patiar; quid enim mihi tunc prodeſſet, ſi etiam univerſum mundum tueri facerem?

Actus petitionis pro aliis.

Domine ſancte Pater, qui es benedictus & glorioſus per omnia ſæcula, te deprecor, ut omnes, qui mei memoriam faciunt in ſuis orationibus, & qui ſeſe indignis orationibus meis commendaverunt, & qui mihi aliquod charitatis officium & pietatis ſtudium impenderunt, ſeu & illos, qui conſanguinitatis ac cognationis affectu ſunt mihi propinqui, vel ſimili vocatione vocati ad hunc ſanctum ſtatum: tam & illos, qui

nunc consistunt in corpore, quam & illos, qui teguntur funere, misericorditer gubernare, ut omnibus Christianis vivis adjutorium, defunctis autem fidelibus absolutionem & requiem sempiternam præstare digneris per æterna sæcula.

Ad B. V. Mariam & omnes Sanctos.

O Virgo & Mater Dei &c. &c. *ut supra pag.* 138.

ACTUS DEVOTISSIMI post Sacrum die Mercurii.

Sancte Sanctorum Deus, inæstimabilis Majestatis! Deus Deorum & Dominus Dominorum mirabilis, inenarrabilis, inexcogitabilis!

Quis poterit stare in conspectu vultus tui, omnipotens Deus altissime, & in conspectu ardoris tui quis poterit sustinere?

Tremiscant omnes & paveant te, tu enim Deus vivens & æternus in sæcula.

Paveo a facie nominis tui, a terribili nomine Majestatis tuæ, & in conspectu Angelorum cum tremore adoro te, benedico & glorifico te, prosequi te volens obsequiis valoris infiniti.

O Hospes divinissime! diu desiderate, anxie

anxie quæſite, ſollicite adamate, ex intimo corde ſaluto te ſalutationibus omnium creaturarum.

Gratias bonitati tuæ, Deus, gratias pietati tuæ, pro omni iſta miſeratione & dignatione tua.

Gratiæ tibi ſint infinitæ, o Domine Majeſtatis, quod me indigniſſimum ita viſitare, ac pretioſo corpore & ſanguine tuo reficere digneris.

Laudet te meo nomine æterna tua Deitas, immenſa Majeſtas, incomprehenſa Bonitas.

Benedicat tibi altiſſima tua ſapientia, ineffabilis miſericordia tua & inſcrutabilis juſtitia.

Utinam omnia, quæ intra me ſunt in laudes & benedictiones theandricas & te dignas ſolverentur.

Offero tibi glorificationes & laudum cantica totius curiæ cœleſtis; ego autem flecto cervicem cordis mei, ſub pedibus Majeſtatis tuæ, gratias agens, quas poſſum ampliſſimas, quoniam dignatus es per tuam miſericordiam viſitare me, & de ſtercore erigere pauperem, ut ſederem cum Principibus & commederem de menſa tua omnibus diebus vitæ meæ.

Jeſu benigniſſime! miſericordias tuas in

æternum cantabo. Et quid retribuam tibi? Tu corpus tuum, immo totum te tradidisti mihi & ego viciſſem totum me trado tibi. Nihil autem in me inveniens niſi aera minuta duo, ſcilicet corpus & animam, illa cum vidua paupercula evangelica in gazophylacium Ss. vulnerum tuorum mitto, & hæc una cum meritis tuis & omnium Sanctorum in laudem & gloriam gratiarum actionem ac ſupplementum omnium defectuum in hac Ss. Sacrificii actione admiſſorum offero, ardentiſſime deſiderans, omnes actus bonos, ad gloriam tuam umquam elicitos aut in æternum eliciendos, actualiter nunc & in æternum & omni adhuc momento vitæ meæ infinities elicere, & illud omne beneplacitum ex toto corde tibi dare.

Gaudeo & exulto toto corde de omni gloria tua. Opto ac volo tibi illam ex animo. Utinam poſſem ſolus eamdem tibi dare, quam habes ab omni creatura tua, hancque in cœlo & terra in infinitum multiplicare; & hoc ex amore tui perfectiſſimo.

O quam doleo, te amorem dulciſſimum & amantiſſimum, vilipendi, offendi, ac injuriis

juriis provocari. . . . Quam doleo, & toto me deprecor.

O dulcedo, dulcedo, quam parum æſtimata & multo minus cognita! O ſummum ac eſſentiale Bonum meum, Bonum verum & unicum! poſſide cor meum, ut omnis motus & affectus nihil aliud ſit quam ſolus ſanctus amor.

Ah! quis mihi det, ut cor meum ſit ſemper in te, nec quidquam æſtimem aut ſuſpiciam, quam ſolum ſolum te, cum totali contemtu omnis creati! Et nunc quid offeram?

Oblatio ſemper pro ſemper multo efficaciſſima.

Sanctiſſime Domine mi &c. *ut ſupra.* *pag.* 132.

Petitio ſpecialis pro ſe hac die.

O adorande, metuende, colende & in omnibus benedicte Domine! da mihi ſuper omnia deſiderata in te requieſcere, & cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu ſola requies, extra te dura ſunt omnia & inquieta. In hac pace in idipſum,

h. e. in te uno ſummo & æterno bono dormiam ac requieſcam.

Domine tu ſcis, qualiter melius eſt, fiat hoc vel illud N. ſicut volueris. Da, quod vis, & quantum vis, & quando vis. Fac mecum, ſicut ſcis & ſicut tibi magis placuerit, & major honor tuus fuerit. Pone me ubi vis, & libere age mecum in omnibus. In manu tua ſum; gyra & reverſa me per circuitum. En! ſervus tuus ego, paratus ad omnia.

Offero me ex toto corde meo tuæ voluntati, non quærens, quæ mea ſunt nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate; quoniam non deſidero mihi vivere, ſed tibi utinam, digne & perfecte.

O mi amantiſſime Jeſu! per tuam in hoc ſanctiſſimo Sacramento & Sacrificio & in viſceribus animæ, corporisque mei præſentiam peto a te, ut me ex ſingulari miſeratione tua ſtimules ſemper intentione puriſſima deſervire guſtui adorandæ & amantiſſimæ voluntatis tuæ, tuum velle ac beneplacitum pure ſpectando, ut tandem vir juxta cor tuum inter intenſiſſimos actus, in manus tuas emittam ſpiritum meum.

Actus petitionis pro aliis.

Finaliter profero & commendo tibi, piissime Pater, per cor Unigeniti tui, in quo tibi complacuisti, si dignaris propitius intueri, tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miseriam orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum, lacrymas animarum purgantium, afflictiones utriusque status, miserias & petitiones eorum omnium, pro quibus orare teneor vel promisi.

Exaudi nos in gemitibus nostris. Exaudi nos, obsecro, Domine! Bene prosperare. Obtestor te per omne id, quod tu Deus meus & omnia! es & habes in te.

Ad B. V. Mariam & omnes Sanctos.

O Virgo & Mater Dei &c. &c. *ut supra pag.* 138.

ACTUS DEVOTISSIMI

post Sacrum die Jovis.

Mirabilia facta sunt in me, & ab Altissimo est emissa in me visitatio; recordatus est nominis mei. Quis

Quis ſimilis tui in fortibus, Domine, quis ſimilis tui!

O amabilis & dulciſſime Jeſu! unde tandem hoc tibi, quod in adeo vile, ipſaque abjectione abjectius ſubſtantiæ meæ tugurium declinare dignatus es!

O ineffabilis gratia! o admirabilis dignatio! o amor immenſus, homini ſingulariter impenſus.

O abyſſus dulciſſimarum miſerationum, amantiſſime, gratioſiſſimeque Jeſu! qui amas, amaris, & amabilis es.

Vere tu es Dominus, miſericors & miſerator. Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.

Adoro, quem Angeli adorant in cœlo. Procido in faciem meam, & in conſpectu tuo, Domine, & ſanctorum Angelorum tuorum benedico nomen tuum ſanctum, quia feciſti hanc rem, divitias bonitatis tuæ effundendo in me.

Non quantum debeo, ſed quantum poſſum & valeo, te, o bone Jeſu, gaudium Angelorum & gloriam Sanctorum, in corde meo præſentem laudo, amo, colo, adoro humillime, & grates infinitas refero pro eo, quod hoc inæſtimabile Sacramentum digna-

dignatus es instituere per quod cœli & terra reconciliantur, & immensis gratiarum donis replentur.

Coram te, o augustissimum Mysterium, cum summa reverentia flecto genua mea, & cum omnibus Angelis atque Archangelis, Cherubinis ac Seraphinis, cumque omni militia cœlestis exercitus hymnum gloriæ tuæ concinno, centies millies, immo fine fine ingeminans: *Laudetur & adoretur sanctissimum Sacramentum Altaris.*

O Domine! quis auditas faciet omnes laudes tuas! Nonne homo putredo & filius hominis vermis! Nonne universa vanitas omnis homo vivens! Et dignum ducis supe hujuscemodi aperire oculos tuos!

Quid retribuam pro gratia ista, pro charitate tam eximia! Ego quidem, etsi omnia membra mea verterentur in linguas laudantium te, longe minor essem cunctis miserationibus tuis.

Unde agnoscens insufficientiam meam, id unum votis omnibus exopto, ut omnes creaturæ tuæ mecum & pro me laudent & benedicant nomen tuum in æternum.

Sed ante omnia oro cum deliderio & affectu omnium creaturarum, ut hoc Ss. Sacramen-

cramentum, quod ex intimis tui amoroſi cordis produxit efficax dulcior tuæ inveſtigabilis divinitatis, tibi intrahas per affectum ſuaviſſimi Spiritus tui in laudem æternam immenſam & incommutabilem, quam inſcrutabilis ſapientia tua altiſſima cognoſcit ſuperexcellentem Dei Patris omnipotentiam condecere, ac inæſtimabiliter ſuaviſluam Spiritus ſancti benevolentiam oblectare.

Quid retribuam tibi Domine, pro omnibus, quæ retribuiſti mihi?

Diligam te Domine, charitas mea, tam antiqua & tam nova. Semper amabo & jam amo te, o Jeſu, ſuper omnia. O Deus, ego amo te, nam prior tu amaſti me, & ad redamandum te provocaſti. Da autem Domine, quod jubes.

Tranſfige, dulciſſime Deus! cor meum amoris tui ſagitta, & ſaucia illud ſuaviſſimo dilectionis vulnere. Da mihi Domine, ut amem toto me, quia non poſſum te amare ſine te. Sonet vox tua in auribus meis, vox illa dulciſſima & efficaciſſima: *Volo*. Ah! ſicut voluiſti pro me pati, ſic velis etiam & digneris in me tui amoris ignem accendere. Sonet igitur in corde meo vox tua: *Volo*. Et nunc quid offeram?

Obla-

Oblatio ſemper pro ſemper multo efficaciſſima.

Sanctiſſime Domine mi &c. *ut ſupra.* *pag.* 132.

Petitio ſpecialis pro ſe hac die.

Melliflue, dulciſſimeque Jeſu, quem modo in ſanctiſſimo Sacrificio per dignationem tuam dignantiſſimam obtuli, atque in ſanctiſſimo Sacramento ſuſcepi, qui modo factus es mihi, totique ſimul Eccleſiæ propitiatio & ſalus & vita & refectio & medicina & requies & deliciæ & honor & protectio; quemque proſtratiſſimo corde, promiſſima voluntate, ſubjectiſſima corporis animæque ſubjectione adoro & veneror, exalto & amplector: deprecor faciem tuam in toto corde meo, ut complaceat tibi, ſi major honor tuus fuerit, propter nomen ſanctum tuum, me facere dæmonibus terribilem, totique inferno tremendum O Jeſu! ſis mihi Jeſus! Sis mihi turris a facie inimici. Sis mihi virtus in omni opere, lumen in tenebris, conſilium in dubiis, ſolatium in omni tribulatione, ſalus autem & indulgentia plenaria in morte.

Præ-

Præſta quoque, propter gloriam nominis tui, ut ultimum linguæ meæ verbulum ſit dulciſſimum nomen tuum Jeſus, & tandem ultimus anhelitus ſit ſuſpirium contritione plenum, & amore directum in dulciſſimum cor tuum, ut in devotiſſima pronuntiatione aut cogitatione ſanctiſſimi nominis tui moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia.

Actus petitionis pro aliis.

O amabilis & ſuper omnes amores amoroſior Jeſu! devotione, qua poſſum, commendo ſimul atque ſupplico tibi, ut totam hanc familiam tuam, omnesque filios ejus, quos pretioſo ſanguine tuo, ſub impoſitione ſanctiſſimi nominis tui profuſo, redemiſti, tam præſentes quam futuros; cunctos fideles, omni digniſſimo iſto tuo nomine dignos eſſe facias.

O Jeſu! propter nomen hoc tuum, quod eſt Jeſus, fac te nobis Jeſum, & fac nos ſemper ambulare, ſemper inſervire digne huic melliſluo tuo nomini Jeſu. O Jeſu, hoc tuum nomen appellet nos, diſcernat nos, confortet nos, purget nos, inflammet nos, delectet nos, perficiat nos, defendat

fenlat nos, ſanet nos, ſalvet nos, in gloriam æternam inducat, ibique coronet & inſigniat nos.

Tibi, mi Jeſu, atque Patri tuo, & Spiritui ſancto, omnis gloria, omnis amor, omnis exaltatio, ab omni cœleſti, terreſtri, inferno genu, itemque a me, & ab omnibus amatoribus nominis tui ſit in æternum & ultra Amen JESUS.

Super populum tuum benedictio tua. Super omnes afflictos autem & tentatos, ſuper omnes amicos & inimicos, vivos atque defunctos miſeratio tua æterna.

Ad B. V. Mariam & omnes Sanctos.

O Virgo & Mater Dei &c. &c. *ut ſupra pag.* 138.

ACTUS DEVOTISSIMI poſt Sacrum die Veneris.

Ergone credibile eſt, ut habitet Deus cum hominibus ſuper terram!

Si cœlum & cœli cœlorum te non capiunt, quanto magis domus iſta cordis mei.

O dulciſſime & amabiliſſime Jeſu! o mi Servator in doloribus demerſe, & in Regem

ærum-

ærumnarum transformate ! o afflictiſſime David & lugens Iſaia Chriſte Domine ! quo te abripiebat infinitus amor tuus !

Non ſatis tibi erat pro me in mortem ire & ſanguinem fundere ; ſed de carne & pretioſo ſanguine tuo divinum inſuper mihi paraſti convivium.

Poculum tuum inebrians, o quam præclarum eſt ! & tabernaculum tuum, quod poſuiſti in medio mei, ut habitares mecum, & poneres me inter convivas menſæ tuæ, o quam venerandum & admirandum.

Proſtratus ego in genua coram immenſa tua Majeſtate cum omnibus ac pro omnibus Redemtis tuis. Adoro & glorifico te, cum ſanctiſſima Humanitate tua modo oblata & manducata in me corporaliter commorantem,

Pronus adoro, & totus quantus glorifico te, atque utinam te adorare & glorificare eo poſſem affectu, quo ab Electis tuis affici gaudes, quoque te ipſum diviniſſime proſequeris.

O ſanctiſſima Humanitas Salvatoris D. N. J. Chriſti, in divina verbi hypoſtaſi ſubſiſtens, cujus lucidiſſima vulnera reverenter ac peramanter deoſculor ! tu pro me

digna

digna adoratione profequere verbum Patris unitum tibi. Fac oro, quod potes. Fac ficut fcis & vales.

Benedicat tibi pro me, dulciffime Jefu, exinanitio & omne exilium tuæ Majeftatis, quod triginta tribus annis fuftinuifti.

Sed & omnes Humanitatis tuæ anguftiæ & dolores, omnes guttæ tui pretioffimi fanguinis, quinque vulnerum tuorum monilia, & cordis tui deificati & in cruce moriturientis palpitationes benedicant tibi pro me.

Verum cor quoque meum, & anima mea cum tota fubftantia carnis meæ, omnibus fenfibus & viribus corporis & fpiritus mei, cum univerfitate totius creaturæ laudes & gratiarum actiones dicant tibi dulciffime Jefu, fideliffime Amator humanæ falutis, pro dignantiffima mifericordia tua.

Et quid nunc ad hæc addam? quum multa & magna beneficia a te receperim, & iis refpondere nequeam, id agam, diligam te. Et en! intendo omnes vires meas, & complector & amo te totis præcordiorum meorum adfectibus, quia quum adhuc inimicus eſſem tuus, dilexifti me, & temetipfum tradidifti pro me.

Amo igitur & volo amare te in æternum, Deus meus in æternum! O piiſſime amator! o æterne amator Jeſu! Fili Mariæ Virginis! infunde obſecro, infunde in me gratiam, ut ſemper perfectius atque perfectius poſſim te diligere, te laudare, te perfrui, tibi adhærere, ac in te gloriari.

Sed quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum & pedum tuorum! Ah! opus manuum mearum — Doleo ſuper te, Frater mi, toto te, & doleo ſuper me toto me.

Heu! quis mihi dabit omnem illum de peccatis meis, de opere peſſimo manuum mearum, ſentire dolorem, quem tu, de cruce pendens, maxime in egreſſu animæ tuæ de crucifixo corpore tuo perſenſiſti!

Vere Agne, qui abſtuliſti peccata mundi! auffer & mea, qui mortem noſtram moriendo deſtruxiſti, deſtrue & meam. Qui vitam reſurgendo reparaſti, repara & meam.

Ah! deinceps oculi mei ſemper ad te Dominum, & plagis horridum, & opprobriis ſaturatum, ut læter in diebus, quibus me humilias, & annis, quibus video mala.

Rex Martyrum! quid pati pro te potero,

quod

quod tu non prior, & infinite acerbius paſſus es pro me! O Domine Jeſu Chriſte! facſlutam ex ſputo, & lini oculos meos, ut qui cœcus ſum, tua vulnera videre valeam.

Domine da patientiam & poſtea indulgentiam; da, obſecro, fortitudinem, ſine qua numquam ſolidabor in amore tui & numquam potero contentus vivere in hoc exilio, quoniam permanet verbum tuum: *In mundo preſſuram habebitis.* Fiat voluntas tua. Etiam auſterum amabo Patrem, & hæc ſit mihi conſolatio, ut affligens me doloribus non parcas, nec contradicam ſermonibus Sancti in omnibus operibus ſuis, qui proprio Filio ſuo non pepercit.

Precatio & Oblatio longe devotiſſima.

Aſpice pie Pater! piiſſimum Filium pro me tam impia paſſum. Reſpice clementiſſime Rex quis patitur, & reminiſcere benignus pro quo patitur.

Nonne hic eſt mi Domine, innocens ille, quem, ut ſervum redimeres, filium tradidiſti? Numquid non auctor vitæ hic eſt, qui ut ovis ad occiſionem ductus, tibique uſque ad mortem obediens factus, genus atrociſſimæ necis ſubire non timuit?

Recole totius ſalutis diſpenſator, quia hic eſt ipſe, quem etſi ex tua virtute genuiſti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluiſti. Vere hæc eſt tua Deitas, quæ meam induit naturam, crucis aſcendit patibulum, quæ in aſſumpta carne triſte tulit ſupplicium.

Reduc Domine Deus oculos tuæ Majeſtatis ſuper opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum toto corpore extenſum. Cerne manus innoxias, pio manantes ſanguine, & remitte placatus ſcelera, quæ patrarunt manus meæ.

Conſidera inerme latus, crudeli perfoſſum cuſpide, & renova me ſacro fonte quem inde credo fluxiſſe. Vide immaculata veſtigia, quæ non ſteterunt in via peccatorum, ſed ſemper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis & perfice greſſus meos in ſemitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis.

Oro te, Rex Sanctorum, per hunc Sanctum Sanctorum, per hunc Redemtorem mei:: fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam uniri, qui mea non horruit carne veſtiri.

Numquid non attendes pie Pater! ado-

leſcen-

lescentis filii chariſſimi caput nivea cervice deflexa, pretioſiſſimam reſolutum in mortem.

Aſpice mitiſſime Conditor, dilectæ ſobolis humanitatem & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitatem. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tenſa arent viſcera, regia pallent ora, procera rigent brachia, rigat terebratos pedes beati ſanguinis unda.

Specta glorioſe Genitor, gratiſſimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus, quæ mea eſt ſubſtantia. Conſpicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam.

Vide Redemtoris ſupplicium, & redemti dimitte delictum. Hic eſt Domine mi, quem propter peccata populi percuſſiſti, licet ipſe ſit dilectus, in quo tibi bene placuiſti. Hic eſt ille innocens, in quo dolus non eſt inventus, & tamen inter iniquos deputatus eſt.

Petitio ſpecialis pro ſe hac die.

O Amor crucifixe! recogitans in amaritudine ac compaſſione animæ meæ, quomodo tota vita tua crux fuerit & marty-

rium: quomodo inſtante paſſionis hora co
peris contriſtari ac mœſtus eſſe, cum mo
te autem luctans acerbiſſimos inter cruci
tus hora nona exclamare: *Deus meus, D*
us meus, ut quid dereliquiſti me! ah! pe
hæc omnia paſſionis tuæ myſteria, præſe
tim per illum ſupremum agonem tuum
perque tres illas in cruce horas, te oro,
quæſo, ne derelinquas me in hora tribul
tionis illius magnæ, qualis non fuit ab in
tio, & mihi des ad extremum vitæ me
inſtans uſum rationis, quin & ſenſuum m
orum, ut te etiam in extremo vitæ me
puncto ſuper omnia diligam, ſuper omn
æſtimem, ſuper omnia cupiam, tamqua
ſupernaturale bonum, ultimumque fine
meum, ut iisdem motivis dolendo de pe
catis meis, in manus tuas & pretioſiſſim
Parentis tuæ, ſanctorumque Patronoru
meorum ſpiritum meum tradam, corde
ore tuo exclamans: *Pater in manus tu*
commendo Spiritum meum.

Actus petitionis pro aliis.

Fili! Redemtor mundi Deus! per S
Caput ſpinis coronatum miſerere capitis v
ſibilis Eccleſiæ tuæ ſanctæ, ſummi Pon
ficis

:is N. tui in terris Vicarii, nec non om-
um eorum, qui nobis præſunt presby-
:ri, & quibus obedientiam debeo.

Per vulnus *dextræ* manus te deprecor,
t omnes, qui in ſuis orationibus mei me-
ioriam faciunt, & qui ſe indignis oratio-
ibus meis commendaverunt, & qui mihi
liquod charitatis officium aut pietatis ſtu-
ium impenderunt, vel qui mihi propinqui
z affines ſunt, ut eos miſericorditer reſpi-
ere digneris.

Per vulnus *ſiniſtræ* manus parce, obſecro,
s omnibus, qui mihi adverſantur, vel qui
ne umquam aliqua moleſtia affecerunt. Per
anguinem & amorem tuum erga inimicos
ffuſum, te oro, atque obteſtor: dimitte
llis hanc noxam.

Per *dextrum* pedem transforatum, præ
ta ſalutis humanæ amator! filiis & filiabus
ne s ſpiritualibus omnem gratiam & pro-
ſectum in ſpiritu, ut eant de virtute in vir-
tutem: & juſti juſtificentur adhuc. Ah!
utinam nec unus periret ex eis, quos de-
diſti mihi. Tui ſunt. Serva eos.

Per *ſiniſtri* pedis SS. vulnus miſerere om-
nium, qui in tenebris infidelitatis aut hæ-
reſeos ſedent & in umbra mortis, & diri-

ge pedes eorum in viam pacis & salutis. Converte eos Deus salutaris noster.

Per *crucifixionem* tuam adjuva omnes, qui amore tui carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis, quique tamquam Religiosi votorum clavis affixi cum Apostolo tuo gloriantur in cruce tua; adjuva eos, ut tecum crucifixi patientissime perseverent, & pie cursum consummant, quod unum necessarium.

Per *derelictionem* & *sitim* tuam ne derelinquas eos, qui in aliqua tribulatione ad te clamant, vel qui meas preces expetiverunt & sitiunt justitiam.

Per *mortem* tuam subveni in misericordiæ tuæ plenitudine omnibus hodie morientibus, ut in gratia tua morte justorum defungantur.

Per *sepulturam* tuam conforta tuæ gratiæ auxilio animas justorum, ut vita ipsorum tecum in Deo abscondita sit, & justi tui ex fide viventes in justitia sua permaneant.

Et tandem in omnia SS. tui corporis *vulnera* commendo tibi Domine omnes & singulos misericordiam tuam poscentes pro quibus vis & placet tibi me orare.

Mise-

Miſerere, Domine, miſerere omnibus; da gratiam indigentibus, & fac nos tales exiſtere, ut ſimus digni gratia tua perfrui, & ad vitam proficiamus æternam. Amen.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum in te quieſcentium, & ad te ex illis purgantibus flammis claamantium, pro quarum liberatione totam tuam SS. paſſionem & dolores Matris tuæ juxta crucem ſtantis ac plorantis offero.

Ad B. V. Mariam & omnes Sanctos.

O Virgo & Mater Dei &c. &c. *ut ſupra pag.* 138.

ACTUS DEVOTISSIMI
poſt Sacrum die Sabbathi.

O miſericordiæ Domini! qui creavit me, requieſcit in tabernaculo meo. Qui habet in cœlis habitationem ſuam, elegit ſanctuarium ſuum in loco iſto.

Adorate eum omnes Angeli ejus. Circumdate Sion, & complectimini eam. Narrate in turribus ejus miſericordiam Jeſu, quam fecit mecum, & bene pſallite illi.

Quod quæſivi, jam video, quod con-

cupivi teneo. Quis mihi det, ut in conſpectu ejus amore langueam, & corde totus ardeam. Quis mihi det? —

O Jeſu! Rex admirabilis & triumphator nobilis, dulcedo ineffabilis, & totus deſiderabilis! Quid dicam de me! Et unde hoc, quod tu Dominus univerſorum, nullius indigens, ad me peccatorem divertere dignatus fueris, qui ſum ſtabulum ſordidius bethlehemitico, in cujus præſepio infans reclinatus fuiſti.

O delicioſiſſimum cordis mei centrum, ſanctiſſime, laudabiliſſime & amabiliſſime Servator! quid tibi pro tantis tuis erga me miſerationibus & miſerationum tuarum profuſionibus, mi bone Jeſu, non dico retribuam, ſed reſpondebo!

Si tradidero me tibi in ſervum nihil eſt ſi me in gloriam tuam vilificavero, etiam hoc ipſum nihilum eſt, ſi me per totam æternitatem ſoli gratiarum actioni conſecravero, brevis erit & ipſa oblongitas tantæ obligationis meæ, tanto exceſſui charitatis tuæ.

Sit ergo ſuper te, optime Jeſu! benedictio Patris tui, & benedictio Verbi, & benedictio Spiritus ſancti, ſit benedictio totius

tius ſanctiſſimæ Trinitatis, ſitque ſuper te dulcedo amoris tui, quæ te induxit, me pauperculum viſitare, benedicta & ſuper-exaltata in ſemetipſo per ſæcula.

Ego cinis & nihilum ante te reverenter quidem, humiliter & amanter, atque toto cordis jubilo admiror, magnifico, laudo & exalto bonitatem & dulcedinem, quam manifeſtas in hoc Sacramento; quod autem mihi in tua laude, & mea gratiarum actione deficit, digneris ſupplere pro me, o benigniſſime Jeſu! atque hoc ſanctum ſacrificium meum in cor tuum ſuſcipere, Deoque Patri in illo amore offerre, quo te cum omni gratiarum tuarum plenitudine in vita ac in morte obtuliſti.

Has ipſas gratiarum actiones, quas toto tempore vitæ tuæ, maxime quum hoc Sacramentum inſtituiſti, Deo Patri ſanctiſſima Humanitas perſolvit, & quas B. V. Mater tua omnesque Sancti tui in ſuſceptione hujus Sacramenti toto cordis ac mentis affectu perſolverunt, offero, tibi multiplico, & quoties halitum traho, in infinitum multiplicare intendo.

Accipe vota mea, & omne deſiderium meum, pro quo oro; ſumma cum animi hu-

militate profundiſſimaque reverentia pedes tuōs exoſculans, teque Deum meum adorans, deſidero abyſſus eſſe, totusque verti in abyſſum & adorationis & admirationis & laudis & exaltationis & amplexus.

O ſuaviſſime dulcedinum omnium fons & Rex Jeſu Chriſte, Fili Mariæ Virginis! te, in ſanctiſſimo Sacrificio Altaris modo immolatum, atque ex eodem Altari ſacramentaliter ſumptum atque manducatum, amo ſuper omnia bona creata, ut te lucrifaciam, Deus meus & omnia. Ah! ſi te in hora mortis meæ ob defectum ſenſuum meorum non poſſem amare, te impræſentiarum pro illo temporis puncto totis animæ meæ viſceribus ac conatibus amo, & amare cupio.

Et nunc quid petam a te? Peto a te vitæ ac necis Domino, ut cogites de me morituriente cogitationes pacis, & non afflictionis ſed miſericordiæ & conſolationis.

O clemens ac dulcis Jeſu! in unione ferventiſſimi amoris, qui te vitam omnium viventium in cruce mori coegit, pulſo ad medullam benigniſſimi cordis tui, & rogo, ut animæ famuli tui N. peccata omnia dimittas, & tua ſanctiſſima converſatione, tuæque amariſſimæ paſſionis merito omiſſa

ejus

ejus ſuppleas, eumque (me miſerrimum peccatorem) ſuper abundantiſſimam miſerationum tuarum multitudinem facias experiri, nosque omnes & ſingulariter hunc famulum tuum, placido tibi modo præpares, eique præſtes, ut cum vera patientia, perfecta reſignatione, plena peccatorum remiſſione, validiſſima fide, ſpe firma & integra caritate in perfectiſſimo ſtatu in dulciſſimum amplexum & ſuaviſſimum oſculum tuum feliciter ad tuam æternam laudem exſpiret.

Ah! per Mariæ & omnium Electorum tuorum merita benedic mihi emorituro. Ad te, o clemens Domine ac Pater! vocifero, totoque ex corde proclamo, miſerere, miſere, miſerere ſuper me morituriente, & dum defecerit virtus mea, nec derelinquas me.

Ne ſinas, obſecro, ne ſinas me mortem videre, niſi prius ſumam Chriſtum Domini. Fac ut ultima refectio vitæ meæ ſit ſuaviſſimus cibus euchariſticus, & moriar morte pretioſa Sanctorum tuorum; ultima autem verba linguæ meæ ſint dulciſſima nomina JESU & MARIA.

Oblatio &c. ut pag. 132.

Receſſus ſpecialis hac die & in feſto Mariæ Virginis.

Dilecte Fili Mariæ! dulcis Chriſte, bone Jeſu, lumen æternum & indeficiens, panis vitæ, qui nos reficis, & in te non deficis, quotidie comederis, & ſemper integer manes! æſtimo & ſuperexalto te toto me, totis viribus omnis creaturæ, toto adfectu pretioſiſſimæ Matris tuæ, cui te in filium unicum, in theſaurum electum, atque in pretium inæſtimabile dediſti, eamque ex te ipſo & propter te ipſum pretioſſimam orbis terræ margaritam conſtituiſti.

Sis in te ipſo benedictus per omnia ac ſuper omnia Deus noſter, & omne bonum noſtrum, bonumque omnium creaturarum. Singulariter tamen ſis benedictus ab omnibus creaturis tuis in hoc die divæ Parenti tuæ ſacro.

℣. Per cor huius Virginis cum omni adfectus effuſione ac profuſione credo & ſaluto te; ſpero & amo te, nec non magnificentiſſimas Majeſtati pietatique tuæ gratias ago, & totum me in adorationem, laudem, gratiarum actionem, amorem, obſequium, exaltatio-

altationemque realem & cordialem tibi, Deo meo Dominoque offero, exhibeo & trado.

Jesu mi dignissime & amandissime! qui propter salutem meam dedisti mihi te ipsum, & tecum Matrem tuam, quid tibi muneris loco donem præter te ipsum? —

Te igitur ipsum tibi in hoc Sacrificio dare, offerre, donare & immolare volo & statuo. Accipe tu ipsum te, a me pro me, ut sicut tu tibi in hoc Sacrificio gratus & idem es: ita & ego adfectui, gustui, amorique tuo gratus semper fiam, idemque tecum per unionem amoris æterni evadam.

Accipe mi Jesu, per manus genitricis tuæ, accipe totam membrorum potentiarum, partium actionum, verborum, cogitationumque mearum plebem, in pignus ab anima mea amoris tui, ut per omnem æternitatem cantem tibi in gloria tua, quod substantia mea tota se diligat te, unicum & solum medullarum suarum bonum, propter te autem, & in te stringat Matrem tuam & Matrem meam amabilissimam, dulcissimamque Mariam.

O illibatissime Jessei floris fructus; Jesu dulcissime, Fili Mariæ! peto a te, ut de

fide declaretur ejus immaculata conceptio, & hoc antequam moriar.

Peto a te, ut propter hujus immaculatæ Virginis præclariſſima merita confirmes me in gratia tua, & in hac diſcedere permittas.

Peto a te, ut me ſanctiſſimæ genitrici tuæ in ſpecialem curam ſpeciali tuo adfectu commendes, quo in cruce pendens illi Joannem commendaſti, dicens: *Ecce! Filius tuus.* Fac & trade mihi illam in Matrem.

Peto a te, ut Maria ſit & maneat mihi una & ſola poſt te omni re & ſpe pretioſior, dignior, & carior Virgo.

Ah! peto, ut illa me & viventem in hoc procelloſo præſentis vitæ mari & morientem in illo decretorio ab hac vita diſceſſus agone diviniſſimis miſericordiæ tuæ oculis gratioſum & amabilem & ab omni peccato tibi purum omnibusque placiturum tibi virtutum donis ornatum repræſentet.

* * *

O Maria, ſpes & refugium! o Maria, quam Dominus adamavit, & nobis omnibus nimis amabilem fecit, ut per amorem tui caperet nos, tuque eſſes rete, ſagena,

præ-

prædatrix animarum noſtrarum, in guſtum ejus, & in bonum noſtrum: fungere jam o Maria! fungere officio, poteſtate, prærogativaque tua.

Age Virgo, & dum tibi per dulciſſimum cor Filii tui Jeſu omnes prærogativas, gratias & glorias tuas tota latitudine adfectus mei, tota capacitate cordis, tota ſinceritate mentis, tota virtute potentiæ, totisque medullis deſideriorum, tota denique veritate ſubſtantiæ meæ, & hoc nomine omnium creaturarum gratulans gratulor, gaudens gaudeo, volens volo & applaudo: age, inquam, & me licet pauperculum, tuum tamen ſervulum ac vermiculum, trahe poſt te & poſt Deum tuum. Cape me tibi & Deo tuo.

Age, o Domina mea, feſtina prædari cor meum; captiva animam meam; introeas in potentias & ſenſus meos; vulnera me telo amoris tui, & annumera me cœtui benedicto amabilium & amatorum tuorum.

Virgo clariſſima! irradia, quæſo, intima mentis meæ ſereniſſimo vultus tui ſplendore, ut in te delectetur, & exultet cor meum. Tange cytharam cordis mei, ut ſuave reſonet in laudem nominis.

O fœminarum omnium pulcherrima! oſtende mihi precor faciem tuam decoram, cujus aſpectu ſuſcitentur in me inextinguibiles caſtimoniæ affectus, & ſervus tuus numquam in cogitatu maligno inquinetur.

Attende, o pia & ſuavis Maria! ſuſpiria animæ anhelantis ad te; & per illam delectationem ineffabilem, quam in opere incarnationis divinæ perſenſiſti, digneris cauſſam meam in te ſuſcipere, meque inter illos collocare, quorum ſpecialem curam geris & qui ſingulariter confidunt in te, delectanturque dilectione tui, & protectione tua, tam in vita quam in morte.

Petitio benedictionis a Maria.

O Virgo & Mater! o Benedicta tu a Domino! benedic mihi in amore tui, & cultu, ut te ſemper novo, ſemper vegeto, ſemper ampliore amore, cultuque proſequar, & proſequi ab aliis feliciter procurem.

Benedic mihi in ſtudiis & conatibus meis, pro Filii tui gloria, pro tui honore, pro animarum ſalute.

Benedic mihi in me ipſo, in omnibus meis privatis neceſſitatibus, in officiis meis cunctis

cunctis & officiorum ac negotiorum licitorum neceſſitatibus.

Benedic meis omnibus, ad me quomodocumque pertinentibus. Benedic toti Eccleſiæ & omni gradui ſtatuique illius. Benedic denique animabus in purgatorio gementibus, ut Jeſus Chriſtus, Filius tuus, propter te parcat eis.

Hoc a te peto, o Mater mea; quia tu es ſpes mea; quia tu es Mater Dei & Redemtoris mei. Hoc a te peto per omnes miſerationes Dei tui, quas ab ipſo umquam accepiſti: peto per omnia myſteria vitæ tuæ, ſive doloroſa ſive glorioſa: peto per omnem inter te ac Deum Filium tuum connexionem; peto autem juxta mentem tuam, juxta voluntatem divinam,

Anima Virginis illumina me.
Corpus Virginis cuſtodi me.
Lac Virginis paſce me.
Tranſitus Virginis confirma me.
O Maria intercede pro me.
Tuum in famulum ſuſcipe me.
Fac me ſemper confidere in te.
A malis omnibus protege me.
In hora mortis adjuva me.
Iter mihi para tutum ad te,

Ut cum omnibus Sanctis glorificem te. In fæcula fæculorum. Amen.

ACTUS DEVOTISSIMI post Sacrum pro Defunctis.

Domine quis ego ſum, quia magnificas me coram te, annumerans me his, ſuper quos mirificas miſericordias tuas per ſingulos dies, præbens mihi cum filiis alimoniam vitæ de regali menſa tua, qui non ſum dignus habere partem cum catellis tuis!

O ineffabilis gratia! o mira circa me tuæ pietatis dignatio! mirentur Angeli videntes ingreſſus tuos, Deus, ingreſſus Dei mei, Regis mei, qui eſt in ſancto.

O Domine Jeſu Chriſte, unice Salvator meus! ex toto corde te adoro, & ob tantam mihi conceſſam gratiam infinitas gratias tibi ago.

Ago inquam, dulcis Jeſu! gratias, ago totas, ago omnimodas, ago omnipoſſibiles, ago tibi placitas & debitas, ago toto me, & quia omni amore & laude infinite digniſſimus es, te ſuper omnia diligo, doleoque quod te hactenus non amarim, nec in præſenti, in quantum mereris, te amem,

&

& in hujus defectum offero tibi omnes adorationes, gratiarum actiones, affectus & actus amoris, reverentiæ & gratitudinis, quos omnes tui Sancti, ac fideles tui famuli, animæ purgantes, elicuerunt ac nunc defacto eliciunt.

Doleo ex toto corde, o Domine Jesu Christe & de nulla re magis dolebo, quam quod te toties & tam multiformiter offenderim, & mihi summopere displicet, quod illum dolorem in me non sentiam, qualem summa tua bonitas & majestas requirit.

Quare humilllime promerita sacratissimæ passionis tuæ veniam peto, offerens me ipsum cum illa tua benedicta passione & omnia, quæ hactenus toto vitæ meæ cursu in remissionem peccatorum meorum feci aut pertuli, aut deinceps facturus aut passurus ero; & ut illa confidentia, quam concepi, quod mea peccata condonaturus sis, in tua infinita bonitate fundata est: sic per illam te deprecor, ut mihi gratiam concedas abundantem me serio emendandi, & pœnas purgatorii exacta status & officii mei observatione, purissima in rebus *omnibus* intentione, compassiva erga te in carne passum, perpetna erga defunctos & tenera

erga

erga proximum inopem & afflictum devotione, nec non frequentissima mortificatione mei ipsius & multa patientia in rebus adversis uti & rarissimo lapsu in venialia, horumque per contritionem perfectam, deprecationem humilem &c. &c. abolitione, feliciter evadendi.

O Creator & Servator animæ meæ, Deus meus, omne bonum meum, tota spes & salus mea! miserere, obsecro, mihi indigno servo tuo, & concessa in præsenti scelerum venia me non sinas in futuro sæculo excruciari. Ante faciem indignationis tuæ, in illis stridentibus flammis, ipsius inferni tormento æmulis, Domine, quis sustinebit? —

O Miserator & misericors! noli quæso, mihi indignari. Noli faciem tuam a me avertere. Noli me, obsecro, in diem iræ furoris tui ducere, & ligatis manibus pedibusque in tenebras exteriores projicere, ubi erit fletus & stridor dentium, & una hora gravior in pœna illa, quam hic centum anni in gravissima pœnitentia. Revela oculos meos.

Nunc labor meus est fructuosus, fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis, dolor

satis-

satisfactorius & purgatorius. Conforta me Deus Israel, ut stem contra me, & non parcam mihi in hoc sæculo, ut parcas tu in futuro; quia satius est purgari fonte quam igne Hæc mihi sit consolatio, ut dum mortificas, vivifices, dum feris, sanes, & dum uris & secas, hoc facias, ut in æternum parcas. Fiat voluntas tua.

Domine salutis meæ! quum angustiaretur in me anima, recordatus sum tui, ut veniat oratio mea ad templum sanctum tuum; tu enim nobiscum Domine Deus noster.

Ecce in tabernaculis fiduciæ effundo animam meam & levo a te manus tuas, ut parcos servo tuo. Ah! sunt oculi tui aperti & aures tuæ erectæ ad deprecationem meam, Deus, Salvator meus! fiducialiter agam & non timebo.

Orationes Sanctorum pro Defunctis.

Memento Domine omnium prædormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ, & fac eos requiescere, ubi visitat lumen vultus tui. *S. Basilius M.*

Da Domine, requiem servis tuis, requiem, quam præparasti Sanctis tuis. Illo

conver-

convertantur animæ eorum, ubi mortis aculeum ſentire non poſſint.

Sit igitur hoc magnum pietatis Sacramentum, Domine Deus meus, ſit illis hodie magnum & plenum gaudium, ut inebriati de fonte bonitatis tuæ, qui per lanceam militis de latere emanavit crucifixi corporis tui, exultent in laude & gloria tua ſancta. *S. Ambroſius.*

O piiſſima Virgo Maria! quæ dixiſti ad S. Birgittam viduam: „Ego ſum Mater Dei „ & Mater omnium, qui ſunt in purgatorio, „ quia omnes pœnæ, quæ debentur pur„ gandis pro peccatis ſuis, per preces me„ as, qualibet hora mitigantur.“ Oramus te, ut iis, quos in purgatorio ignis examinat, impetres refrigerium. *S. Bonav.*

Petitio pro vivis.

Domine finaliter obſecro, converte miſeros peccatores. Revoca Hæreticos atque Schiſmaticos. Illumina infideles te ignorantes. Adeſto omnibus, qui in neceſſitate & tribulatione aliqua conſtituti ſunt. Adeſto his, qui ſe precibus meis commendaverunt, vel commendati eſſe cupiunt. Adeſto parentibus, propinquis & benefactori-

toribus meis. Miserere omnium, pro quibus ego orare debeo, & tu rogari vis.

Miserere hujus loci & congregationis fidelium & concede, ut sit hic pax, humilitas, charitas, continentia & puritas tam corporis quam animæ, concede, ut omnes digne emendemus atque corrigamus nos & timeamus te & serviamus tibi, fideles usque ad mortem, cujus horam præ oculis semper habeamus, ut ad eam simus parati, & felices illi, qui, quum veneris, inveniantur vigilantes, atque digni intrare, absque medio in gaudium Domini sui. Amen.

Lectio spiritualis post Sacrum pro Defunctis de modis evadendi pœnas Purgatorii.

QUINAM SUNT MODI ILLI? &c.

I. Exacta status & officii sui juxta omnes circumstantias observatio ac minimarum actionum per diem devotissima oblatio, ut B. Magdalena de Pazzis aiebat.

II. Fervor & frequentia actuum divinæ charitatis, si illis omnia opera vitæ nostræ imbuantur; nam charitas cooperit multitudinem peccatorum.

III. Eximia & cordialis dignitatis divi-

næ

næ exaltatio dicendo & agendo omnia per diem intuitu eminentiſſimæ dignitatis divinæ, ſimulque pie ac compaſſive recolendo in corde ſuo, quid Deus Homo in carne paſſus fuerit pro nobis, cujus pretioſiſſimum ſanguinem ex vulnere ſanctiſſimi cordis ſui effuſum iterato divino Patri offerre debemus, tam pro nobis quam pro Defunctis.

IV. Perpetua erga Defunctos devotio, & tenera erga proximum inopem, afflictum & patientem compaſſio. *Beati miſericordes.*

V. Opera juſti quælibet, ut docet Conc. Trid. Seſſ. 14. Can. 13. Indulgentiæ, præſertim in via S. Crucis lucrandæ; pœnitentiæ aliquæ, preces expanſis manibus coram Crucifixo perſolutæ &c. &c.

VI. Bonus uſus Sacramentorum, præſertim SS. Euchariſtiæ, & laudabilis mos ſemper omnia in bonam partem trahendi & bene interpretandi. Hac via quædam Carmelitana recta ad cœlum abiit, ut legitur in vita B. Magd. de Pazzis Urbano VIII. dicata, Cap. 64 pag. 161.

VII. Patientiſſima tolerantia rerum quarumcumque moleſtarum vel corpori vel animo: ſenſualitatis per mortificationem congruam, perfecta abnegatio & ſui ipſius tota-

totalis ſpoliatio: „ *Audenter dico, quia ſa-*
„ *lutari hoſtia poſt mortem non indigebimus,*
„ *ſi ante mortem Dei ipſi hoſtia fuerimus.*“
S. Greg. Papa l. 4. Dial. c. ult.

VIII. Ante mortem, ut ait Nicol. Lancicius Tom. I. opuſc. VII. n. 445. ſummo cum fervore facere omnia opera ordinaria, quæ facimus eaque ſpeciali oblatione Deo per manus Mariæ in ſolatium defunctorum offerre, & conari, ut rariſſime peccemus, admiſſa vero peccata ſtatim aboleamus, modis in ſancta Eccleſia uſitatis: ſcilicet confeſſione, contritione, amore Dei, odio peccati, ſedendo ſolitarie, & tacendo, taciturnitate ſingulari; etiam in licitis, præſertim dum prnritus garriendi nos invadit: oratione peccatorum venialium remiſſionem poſtulante: denique quovis actu virtutis: continuo progreſſu in virtutibus & ardentiſſimo deſiderio, quo cupimus diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ut legitur in Revel. S. Brigittæ.

RECESSUS BREVISSIMUS.

Et quis ego ſum Domine Deus meus, ut præſtares mihi talia? Homo peccator ſum, & non recedis a me! Ponis viſitatio-

nem tuam pacem, & noſcere me dignaris ſervum tuum, qui non ſum ſimilis unius ſervorum tuorum?

Gaudens igitur gaudebo, & exultabit anima mea in Deo meo. In ſancto Iſrael lætabor. O mea omnia interiora confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Sed quid dignum poterit eſſe beneficiis tuis, o bone Jeſu! quid ad hæc poterimus dignum dare aut tibi dignas oblationes offerre!

Laudent te Domine, omnes Angeli, & laudem dicant tibi omnes Sancti, & benedicat te omnis terra, quia viſitaſti me in ſalutari tuo, & ego per ſingulos dies laudabo nomen tuum, & benedicam te in vita mea, quamdiu fuero.

O Domine! o amor mi! qui veniſti affluens miſerationibus, ſupereffluens bonitate, abundans dulcedine, ſuperabundans charitate: O dulciſſime Amator animarum, vitaque cordium diligentium te, pie Jeſu! quem intra me & adoro & ſaluto, & veneror, & exalto & toto me amo. Jeſu benigniſſime! jam miſerere mihi ſervo tuo, & exaudi vocem fletus mei.

Fac

Fac potentiam in brachio tuo, & dejice idola ad pedes tuos; quia ſcriptum eſt: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: Dic animæ meæ: Tu mutaberis in me, & ego mutabor in te, & vivet anima mea in gratiam tui. Vivat JESUS!

Converte me, & convertar ad te. Sana me & ſanabor. Salvum me fac, & ſalvus ero.

Exeat virtus de ſanctiſſimo corpore tuo, & conſummat, quidquid vitioſum in me & ruinoſum eſt. Ablue cor meum aqua illa pretioſiſſima, quam divinus amor tuus ex nobiliſſima dulciſſimi cordis tui roſa eliquavit; ſanguine vero tuo ſacratiſſimo illud conforta, & monitis tuis dirige in viam ſalutis.

Tu, o Deus, qui magnes es cordium, trahe me poſt te. Trahe me vi amoris tui, magnitudine dilectionis tuæ, robore gaudiorum tuorum. Ah! trahe me in vinculis dulcedinis tuæ.

Recollige me, pie Jeſu! recollige me indefinenter in me & a me ad te, in tuis viſceribus, & repleto me vulnerum tuorum ſacratiſſima memoria, ut provideam te Dominum meum in conſpectu meo ſemper.

O Deus animæ meæ! pone te ut ſignaculum ſuper cor meum, ut amem te ſuper me & omnia. Pone te ut ſignaculum ſuper brachium meum, ut omnia agam pure propter ac jugiter in te, quod unum eſt neceſſarium. Pone te ut ſignaculum ſuper os & labium meum, ut pauci & circumſpecti ſint ſermones, ſimque ego vir ille perfectus, qui in verbo non offendit, & totus totus Deo ſuo vivit, ad exemplum fidelium.

Tibi inde commendo me medullitus omni quo poſſum modo, omni quo debeo affectu filiali, omni quo teneor amore.

Tu eſſentia eſſentiæ meæ, ſuſcipe me & omnes pro quibus preces meas effudi coram te, in viſceribus miſericordiæ tuæ, & ſalvum fac populum tuum, Deus meus, ſperantem in te, ut cantemus miſericordias tuas in æternum.

MODUS

DEVOTE RECITANDI HORAS CANONICAS, AUT ALIAS PRECES.

* *Secundum ligna ſylvæ exardeſcet ignis, ait* Eccli. 28, 22. *& ideo dicitur: Ante orationem præpara animam tuam.*

am. Qualem te paraveris Deo, talis tibi apparebit Deus, inquit S. Bern. Colliges, ſine devota præparatione in conſpectu Altiſſimi comparere, rem eſſe, quæ nos multarum gratiarum & miſerationum indignos efficit. Statues te igitur in præſentia Dei, quoties orare intendis. Humiliare ſub potenti manu ipſius; Confundere ob peccata tua, & dole intime. Sub qualibet oratione excita ſæpius firmam ſpem, quod ſis infallibiliter impetraturus ea, quæ petis in nomine Chriſti. Elice varios affectus adorationis, amoris, timoris & doloris, nec non reverentiæ erga diviniſſimam Majeſtatem, cum qua loqueris. Ille Regulus ob omiſſam debita reverentiam & adorationem non ſatim exauditus creditur.

Juxta tenorem Brevis Apoſtolici Bened. XIV: Pia Mater 5. April 1747. quaſcumque devota præparatio ad Sacrum vel Horas canonicas recitandas lucratur toties quoties indulgentiam 50 dierum.

ORATIO PRÆVIA ANTE HORAS CANONICAS AUT ALIAS QUASLIBET DEVOTIONES.

O Domine Deus! ego cinis & pulvis dejicio me in abyſſum nihili mei ſub con-

ſpectu divinæ Majeſtatis tuæ, quam toto cordis affectu & adoro & veneror, & a me toties offenſam doleo, atque nunc toto me, toto te, digne te laudare & benedicere intendo, in unione devotionis illius, qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad te Patrem ſuum oravit. Utinam ipſius ſanctiſſimum cor in me haberem, ut Majeſtatem tuam iſtius amore & fervore proſequi, adorare & glorificare poſſem.

Sanctiſſime Pater! in unione amoris ejusdem dilectiſſimi Filii tui commendo tibi ſpiritum meum, & adfectu ſanctiſſimi cordis ipſius offero tibi has preces meas & omnes earum ſenſus, litteras, meique totius commotiones in hac præſenti oratione intercurſuras, ad honorem nominis tui, ad omnes fines poſſibiles meritorios, ex motivo fidei, ſpei, charitatis, religionis, obedientiæ &c. in ſpiritu humilitatis & animo contrito propter te ſuper omnia bona dilectum.

Veni, o Spiritus Domini, Spiritus gratiæ & precum, adjuvans infirmitatem meam, & poſtulans pro me gemitibus inenarrabilibus, ut pſallam ſpiritu & mente, cum Davide credam; quia loquutus es, in verbum tuum ſperem, te diligam, & cla-

mem

mem ac deprecer faciem tuam in toto corde meo. Angele Dei! offer orationem meam Deo.

Matutinum.

In gratam & intime compassivam memoriam prolixæ orationis & sanguinei sudoris in horto D. N. J. Ch., ut impetrem donum orationis & lacrymarum.

Laudes.

In gratam & intime compassivam memoriam omnium injustissimarum tractationum, blasphemiarum & injuriarum D. N. J. Ch., ut impetrem mansuetissimæ mentis dulcedinem, & donum profundissimæ humilitatis.

Primam.

In gratam & intime compassivam memoriam tot iniquarum accusationum D. N. J. Ch. & ignominiosæ ejus raptationis ab uno tribunali ad alterum, ut impetrem donum taciturnitatis, & gratiam, providendi Dominum meum in conspectu meo semper, sive hoc sive illud acturus sim hodie.

Tertiam.

In gratam & intime compaſſivam memoriam acerbiſſimæ flagellationis & coronæ ſpineæ D. N. J. Ch. ſanguine illic in aerem proſiliente, & hic cerebri humore permixto in amabilem faciem ejus ubertim defluente, ut impetrem gratiam confortantem, odio habendi carnem meam, & toto cordis amore proſequendi omnes mei contemtus & humiliationes.

Sextam.

In gratam & intime compaſſivam memoriam doloroſiſſimæ bajulationis crucis D. N. J. Ch. & ſuæ in hoc trunco exaltationis, atque in foſſam illam omnia membrorum ſuorum vulnera concutientis immiſſionis; ut impetrem gratiam onus triſtitiæ meæ patienter ferendi, & mortificandi ſenſus ac membra mea ſuper terram.

Nonam.

In gratam & intime compaſſivam me
moriam trihorii in cruce agonis D. N. J
Ch. & poſt mortem transfixi ſui ſanctiſſim
cordis, de quo continuo exivit ſanguis &

aqua

aqua, ut impetrem gratiam, mortis corporalis agonem habendi ſemper præ oculis, & tandem defungendi morte pretioſa juſtorum in conſpectu Domini.

Vesperas.

In gratam & intime compaſſivam memoriam Capitis languidi D. N. J. Ch. & corporis ejus veneranduſſimi plagis undique deformati, atque ſuaviſſima loquela in ſinu Matris deſtituti, ut per merita doloroſæ Virginis impetrem gratiam, tam in vita quam in morte omnia projiciendi in ſinum Domini, & affectu devotiſſimo ſemper ingeminandi: *Ita Pater! quia ſic placitum eſt ante te.*

Completorium.

In gratam & intime compaſſivam memoriam devotiſſimæ unctionis, & ſepulturæ ſanctiſſimi Corporis D. N. J. Ch. ut impetrem gratiam, vivendi vitam cum Chriſto abſconditam in Deo, quieſcendi, & minimum cum aliis loquendi; quia nihil æque prodeſt ac ædificat.

Ad Gloria Patri renovetur intentio ab initio facta, quod nimirum ſic Deum

Patrem & Filium & Spiritum S. glorificare velimus, ſicut erat glorificatus in principio, & ſicut ab initio, & ab omni retro æternitate ſe ipſum amavit & glorificavit, & nimirum, quod hoc intendamus facere non tantum ſub hac aut illa hora canonica, ſed ſemper pro ſemper, & in omnem æternitatem. Amen.

Sub Oratione. O mi amandiſſime Jeſu! ego recommendo tibi orationem meam, & orans oro, ut eam in ſanctiſſimum cor tuum ſuſcipere, ibique nobilitatam Deo Patri offerre, ſicque per te omnes defectus meos ſupplere digneris.

In distractionibus. O piiſſime Jeſu! Fili Dei! miſerere mei! doleo ex animo, quia tam negligenter & aride oro. Et quoniam hanc orationem nequeo perſolvere, ut debeo, hinc illam tibi repræſento, & ad emendandam ac perficiendam dulciſſimo cordi tuo recommendo. Utinam tot multiplicatis in infinitum vicibus amare & colere te poſſem, quot literas in oratione profero, aut intercurrent motus linguæ, cordisque reſpirationes.

ORATIO FINALIS
POST HORAS AUT ALIAS PRECES.

O bone Jesu! propitius esto mihi peccatori maximo. Ego miser tepidum & distractum officium meum commendo melliluo cordi tuo emendandum & perficiendum, tibique illud offero ad salutem omnium tam vivorum quam mortuorum; in unione illius attentissimæ orationis, qua tu Patrem orasti, & laudasti in terris. Responde, quæso, & supple pro me plenissime, in quibus ego vel ex fragilitate, vel propria culpa defeci. **Amen.**

O piissima Mater! dignare & tu supplere imperfectum obsequium meum apud dilectissimum Filium tuum; & monstra te Matrem pulchræ dilectionis & sanctæ spei.

Leo X. concessit

Quod quicumque dixerit infra scriptam orationem, & in fine illius semel Pater noster & Ave Maria, pro felici statu summi Pontificis, & Ecclesiæ sanctæ Dei, consequetur plenariam indulgentiam, & remissi-

onem omnium defectuum in persolvendo ali
cujus horæ, aut plurium horarum officio
humana fragilitate commissorum.

Oratio.

Sacrosanctæ & individuæ Trinitati
crucifixi Jesu Christi Domini nostri humani-
tati, beatissimæ ac glorioſissimæ Virginis
Mariæ fœcunditati, atque integritati, &
omnium Sanctorum universitati, sit sempi-
terna laus, honor, virtus & gloria ab om-
ni creatura, nobisque remissio peccatorum
per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Et beata viscera Mariæ Virginis, quæ
portaverunt æterni Patris Filium: & beata
ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum
Pater noster. Ave Maria.

INDEX DEVOTIONUM.

Pag.

Præparatio remota ad Sacrum per devotam ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ - - - 12.

Præparatio proxima ad Sacrum in conſuetis Pſalmis præparatoriis - 24.

Selectus devotionis præparatoriæ ad Sacrum per ſingulos ſeptimanæ dies ſemper aliæ atque aliæ.

Acceſſus die Dominica - - 41.

die Lunæ - - 52.

die Martis - - 61.

die Mercurii & in feſto alicujus Sancti aut Sanctæ 70.

die Jovis & in feſtis Domini 79.

die Veneris, vel tempore tribulationis - - 89.

die Sabbathi, & in feſtis Deiparæ, aut dum pro felici morte celebratur 100.

Acceſ-

INDEX.

Acceſſus in Miſſa pro Defunctis. 112.

Acceſſus breviſſimus - - 119.

Receſſus ab Altari - - 123.

Actus devotiſſimi poſt Sacrum

Die Dominica - - 129.

Die Lunæ - - - 142.

Die Martis - - - 148.

Die Mercurii - - 154.

Die Jovis - - - 159.

Die Veneris - - 165.

Die Sabbathi - - 175.

Actus devotiſſimi poſt Sacrum pro Defunctis - - - - 186.

Lectio ſpiritualis poſt Sacrum pro Defunctis de modis evadendi pœnas Purgatorii - - - 191.

Receſſus breviſſimus - - 193.

Modus devote recitandi Horas canonicas, aut alias preces - 196.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Sturmlerner, Friedrich,

Sacerdos Devotus ...

Bd.: [1.] Ante et post sacrum. - Ed. novissima.

Augustae 1808

Asc. 5520 b-1/2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10270135-1